

Diptera Americae septentrionalis indigena.

Descriptis

H. L o e w.

C e n t u r i a n o n a .

- | | |
|------------------------------------|------------------------------------|
| 1. <i>Ditomyia enzona.</i> | 27. <i>Glaphyroptera melaena.</i> |
| 2. <i>Plesiastina tristis.</i> | 28. - <i>decora.</i> |
| 3. - <i>laeta.</i> | 29. - <i>opima.</i> |
| 4. <i>Asyndylum coxale.</i> | 30. - <i>sublunata.</i> |
| 5. <i>Macrocera hirsuta.</i> | 31. - <i>oblectabilis.</i> |
| 6. - <i>clara.</i> | 32. <i>Leja sororcula.</i> |
| 7. - <i>inconcinna.</i> | 33. - <i>abbreviata.</i> |
| 8. <i>Platyura divaricata.</i> | 34. <i>Acnemia psylla.</i> |
| 9. - <i>diluta.</i> | 35. <i>Docosia dichroa.</i> |
| 10. - <i>mendica.</i> | 36. <i>Rymosia filipes.</i> |
| 11. - <i>mendosa.</i> | 37. <i>Trichonta vulgaris.</i> |
| 12. - <i>melasoma.</i> | 38. - <i>foeda.</i> |
| 13. <i>Empheria balioptera.</i> | 39. <i>Zygomyia ignobilis.</i> |
| 14. - <i>didyma.</i> | 40. - <i>ornata.</i> |
| 15. - <i>nepticula.</i> | 41. <i>Epicrypta pulicaria.</i> |
| 16. <i>Polyleptu fragilis.</i> | 42. <i>Mycothera paula.</i> |
| 17. <i>Sciophila onusta.</i> | 43. <i>Mycetophila exstincta.</i> |
| 18. - <i>obtruncata.</i> | 44. - <i>bipunctata.</i> |
| 19. - <i>appendiculata.</i> | 45. - <i>mutica.</i> |
| 20. - <i>biseriata.</i> | 46. - <i>inculta.</i> |
| 21. - <i>tantilla.</i> | 47. - <i>pinguis.</i> |
| 22. <i>Lasiosoma quadratula.</i> | 48. - <i>scalaris.</i> |
| 23. <i>Eudicrana obumbrata.</i> | 49. - <i>trichonota.</i> |
| 24. <i>Syntemna polyzona.</i> | 50. - <i>fallax.</i> |
| 25. <i>Boletina tricincta.</i> | 51. - <i>sigmoides.</i> |
| 26. <i>Phthinia tanypus.</i> | 52. - <i>quatuornotata.</i> |

- | | |
|-------------------------------------|--------------------------------------|
| 53. <i>Mycetophila polita</i> . | 77. <i>Geron vitripennis</i> . |
| 54. - <i>monochaeta</i> . | 78. - <i>albidipennis</i> . |
| 55. - <i>procera</i> . | 79. <i>Myiolepta varipes</i> . |
| 56. <i>Sciara sciophila</i> . | 80. <i>Orthoneura ustulata</i> . |
| 57. - <i>ochrolabis</i> . | 81. <i>Callomyia talpula</i> . |
| 58. <i>Trichosia hebes</i> . | 82. - <i>tenera</i> . |
| 59. <i>Dilophus breviceps</i> . | 83. <i>Platypeza anthrax</i> . |
| 60. - <i>obesus</i> . | 84. <i>Saucropus carbonifer</i> . |
| 61. - <i>tibialis</i> . | 85. <i>Coenosia tricincla</i> . |
| 62. <i>Xylophagus longicornis</i> . | 86. <i>Schoenomyza chrysostoma</i> . |
| 63. - <i>rufipes</i> . | 87. <i>Cordylura gracilipes</i> . |
| 64. - <i>abdominalis</i> . | 88. - <i>inermis</i> . |
| 65. <i>Ptiolina fasciata</i> . | 89. - <i>scapularis</i> . |
| 66. - <i>majuscula</i> . | 90. - <i>glabra</i> . |
| 67. <i>Oncodes costatus</i> . | 91. - <i>munda</i> . |
| 68. <i>Obsebius sulphuripes</i> . | 92. - <i>latifrons</i> . |
| 69. <i>Thereuu albiceps</i> . | 93. - <i>gagatina</i> . |
| 70. - <i>flavicincla</i> . | 94. - <i>acuticornis</i> . |
| 71. - <i>gilvipes</i> . | 95. - <i>megacephala</i> . |
| 72. - <i>strigipes</i> . | 96. - <i>albibarba</i> . |
| 73. <i>Psilocephala variegata</i> . | 97. <i>Loxocera collaris</i> . |
| 74. - <i>scutellaris</i> . | 98. - <i>fallax</i> . |
| 75. - <i>erythrura</i> . | 99. <i>Chyliza notata</i> . |
| 76. <i>Geron macropterus</i> . | 100. <i>Mycetaulus longipennis</i> . |

1. *Ditomyia euzona*, nov. sp. ♂. — *Lutea*, abdomine nigro-fasciato, alarum fasciis tribus difformibus subfuscis, primâ subbasali et incompletâ, ultimâ apicem alae explente. — Long. corp. 3 lin., long. al. $3\frac{1}{2}$ lin.

Ditomyiae fasciatae Meig. similis, lutea, capite concolore. Scapus antennarum dilute luteus, flagellum nigrum, hujus tamen articulo primo in basi luteo; palpi nigri. Dorsi vittae laterales plerumque lineâ nigro-fuscâ circumscribuntur; praeterea interdum linea subtilissima media colore fusco tingitur. Scutellum praeter basim nigro-fuscum. Plenrae fusco-maculatae, maculâ supra halteres majore nigro-fuscâ. Abdominis segmenta singula fasciâ posticâ nigrâ, in medio abdomine et in abdominis marginibus lateralibus valde dilatâtâ ornantur; forceps analis nigro-fuscus, apicem versus niger. Coxae et pedes lutescentes. Halteres lutei. Alae subcinerascens.

colore fusco-cinereo trifasciatae; fascia prima prope basim alae a costâ oriens usque in cellulam basalem primam pergit, ubi obsolescit vel plane evanescit; fascia secunda utrumque alae marginem attingit, anticum ante cellulae subcostalis apicem. posticum ubi vena paenultima excurrit; fasciâ tertiâ alae apex late expletur. — (District Columbia: Osten-Sacken.)

Nota 1. Quod ad Mycetophilidarum in genera distributionem attinet, monographiam Mycetophilidarum Europaeorum a Winnertzio conscriptam, quantum fieri potuit, sequutus sum. Quod ut possem, generibus, in quibus constituendis vir oculatissimus Europaeis tantum speciebus usus est, ex parte saltem latiores fines tribuere sum coactus. Praecipuam venarum in alis decursus et junctionis, quippe quae notas et facillimas et certissimas praebeant, rationem habendam putavi. Frontis vero et palporum structuram minus curandam censi; nam in speciminibus unicis et exsiccatis saepe tam incerto cognoscitur, ut facile in errorem inducamur. Neque ocellorum numerum et dispositionem nimis grande momentum habere opinor; quum enim in speciebus maximâ inter se propinquitate junctis ocellorum dispositio diversa sit, in generibus constituendis eam patet non esse magni ponderis; numerus autem eorum, qui in unicis iisque exsiccatis speciminibus saepe prorsus nullo modo extricatur, pariter ad genera designanda parum idoneus videtur. Sed ubicunque in rebus gravioribus species, quas descripsi, a speciebus Europaeis, cum quibus in eodem genere positae sunt, differunt, discrimina diligenter notare non neglexi.

Nota 2. Nomina, quibus venas et cellulas alarum distinxî, recte intelliget, qui memor est Mycetophilidas venâ longitudinali secundâ carere et sectorem marginalem cum sectore submarginali in unum coaluisse; hic igitur, si vena longitudinalis tertia simplex est, unam cellulam marginalem, sin vena longitudinalis tertia ramum antice emittit, duas efficit cellulas marginales, quas post venam longitudinalem tertiam cellula posterior prima sequitur.

2. *Plesiastina tristis*, nov. sp. ♀. — *Tota nigro-fusca, pleuris dilutius fuscis, apice abdominis luteo, alis obscure cinereis vel subnigricantibus.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{2}{3}$ lin.

Caput nigro-fuscum, vertice antennarumque flagello purius nigris. Thorax nitens, nigro-fuscus, pleuris et metanoto dilutius fuscis. Abdomen fusco-nigrum vel nigrum, nigro-pilosum, segmento

ultimo ejusque appendicibus luteis. Pedes cum coxis saturate fuscis, trochanteribus tamen genibusque extremis sordide exalbidis. Halteres nigri, pedunculi dimidio basali luteo. Alae saturate cinereae vel subnigricantes, cellulâ posteriore secundâ quam pedunculum longiore. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

3. *Plesiastina lauta*, nov. sp. ♂. — *Pallide flava, vertice, antennarum flagello, thoracis vittis abdomineque praeter segmentorum singulorum margines nigro-fuscis, alis dilute cinerascentibus.* — Long. corp. $2\frac{1}{3}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Dilute flavescens. Antennarum flagellum fusco-nigrum; vertex maximâ ex parte fuscus. Thoracis dorsum nitens; fascia media nigro-fusca, adversus marginem anticum dilutior, lineâ pallidâ obsolete divisa; vittae laterales fusco-nigrae. Pleurae immaculae. Abdomen dilute flavescens, marginibus segmentorum singulorum omnibus pallidis; venter totus dilute flavescens. Pedes dilute flavescens, tarsi apicem versus nigricantibus, tibiarum calcaribus nigris. Halteres pallidi. Alae dilute cinerascentes, colore cinereo adversus apicem et adversus marginem posticum paulo saturatiore; cellula posterior secunda quam pedunculus paulo brevior vel pedunculo aequalis. (New-York.)

4. *Asyndulum coxale*, nov. sp. ♀. — *Nigrum coxis pedibusque flavis, trochanteribus tamen et tarsi nigricantibus, alis cinereo-hyalinis, adversus apicem et adversus marginem posticum paulo saturatius cinereis.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. 2 lin.

Nigrum, capite, antennis et proboscide concoloribus. Pili totius corporis nigri. Mesothoracis margo anticus latera versus anguste flavus. Scutelli latera lutescentia. Abdomen totum nigrum, hypopygio concolore. Pedes sordide flavi, trochanteribus, calcariibus tibiarum tarsisque subnigris. Halteres ex luteo subfusci, capitulo superne nigro-fusco. Alae subhyalinae, colore ex fusco cinereo leviter tinctae, adversus apicem et adversus dimidium apicale marginis postici paulo saturatius cinereae; venae alarum nigro-fuscae, similiter atque in *Asyndulo femorali* Meig. ductae. — (Hudsons-Bay Territory; Kennicott.)

5. *Macrocera hirsuta*, nov. sp. ♂. — *Lutea, nigro-pilosa, abdomine apicem versus nigro, alarum cinerearum maculâ mediâ fuscâ, fuscâ subapicali apiceque fusco-cinereis.* — Long. corp. $2\frac{2}{3}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Americae septentrionalis.

133

Lutea, tota pilis nigris quam in speciebus reliquis longioribus vestita. Vertex subfuscus; antennae pro portione modice longae, sesquialteram corporis longitudinem vix superantes, apicem versus nigricantes. Thoracis vittae dorsales pleurarumque maculae subfuscae. Abdomen apicem versus nigrum; hypopygium fuscum. Coxae dilute lutescentes, nigro-pilosae, posteriores in apice fuscae. Pedes dilute lutei, tarsis subfuscis. Halteres pallidi. Alae colore ex luteo cinereo levissime tinctae, adversus apicem et adversus marginem posticum pilis longioribus instructae, maculâ centrali majusculâ fuscâ, fasciâ subapicali integrâ et apice ex cinereo fuscis; apex venae longitudinalis primae non incrassatus; ramulus anterior venae longitudinalis tertiae perlongus et procumbens. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

6. *Macrocera clara*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Gracilis, dilute lutea, basi segmentorum abdominalium singulorum fuscâ, alis hyalinis, fasciâ mediâ antice abbreviatâ et postice deliquescente, maculâ costali et apicis limbo lato fuscis.* — Long. corp. $1\frac{3}{4}$ —2 lin., long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Gracillima, dilute lutea, nudiuscula, pilis totius corporis pallidis. Antennae praeter basim luteam fuscae, tennes, perlongae, maris quadruplicem, foeminae triplicem corporis longitudinem fere aequiparentes. Thorax immaculatus. Abdomen pilis longioribus pallidis vestitum, segmentis singulis adversus basim fuscis. Coxae et pedes dilute lutescentes, tarsis apicem versus subfuscis. Halteres pallidi. Alae hyalinae, in apice et in apicali marginis postici dimidio pilis longioribus aspersae; apex venae longitudinalis primae incrassatus et fuscus maculâ fuscâ cum vena longitudinali tertiâ conjungitur; in mediâ alâ fascia angularis fusca exstat, quae ante venam longitudinalem tertiam subito praerumpitur, postice vero subobsolescens cum venâ paenultimâ marginem petit; apex alae limbo lato fusco ornat; ramulus anterior venae longitudinalis tertiae breviusculus, obliquus, pallidus. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

7. *Macrocera inconcinna*, nov. sp. ♀. — *Lutea, alis cinereis, maculâ centrali fuscâ pictis, apice venae longitudinalis primae incrassato.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. 2 lin.

Lutea, nudiuscula, vittis thoracis abdominisque fasciis ex luteo subfuscis, obsoletissimis. Antennae praeter basim nigrae, sesquialteram corporis longitudinem superantes. Pedes dilute lutescentes,

tarsis nigro-fuscis. Halteres lutei. Alae ex subfusco cinereae, adversus apicem et adversus marginem posticum pilis longioribus vestitae et colore paulo saturatius cinereo tinctae; apex venae longitudinalis primae incrassatus; ramulus anterior venae longitudinalis tertiae brevis, sed obliquus; in mediâ alâ macula majuscula subfusca, inde a lineâ longitudinali fuscâ cellulae submarginali primae inscriptâ usque ad venam antepaenultimam pertinens conspicitur; praeterea maculae subfuscae cuneatae vestigium in cellulâ basali apparet. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

8. *Platyura divaricata*, nov. sp. ♂. — *Lutea*, ultimo abdominis segmento fusco, hypopygio nigro, alarum parte apicali fuscâ, extremo tamen apice dilutiore, ramulo anteriore venae tertiae perpendiculari et cellulâ posteriore secundâ quam in *Platyurâ subterminali* Say multa latiore. — Long. corp. $1\frac{7}{8}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ lin.

Lutea. Antennarum flagellum breviusculum, fuscum. Segmentum ultimum abdominis fuscum, hypopygium totum fusco-nigrum. Alae sublutescentes, triente apicali ex cinereo fusco, extremo apice cinereo; vena auxiliaris paulo ante cellulae marginalis initium in costam exit; ramulus anterior venae longitudinalis tertiae perpendicularis; cellula posterior secunda apicem versus magis dilatatur quam in *Platyurâ subterminali* Say et quam in reliquis speciebus hic enumeratis. — (Georgia.)

9. *Platyura diluta*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Lutea*, segmento abdominali ultimo maris hypopygioque fuscis, alis fasciâ subapicali, postice abbreviatâ, dilute fuscâ pictis, ramulo anteriore venae tertiae obliquo. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Lutea. Antennarum flagellum breviusculum, fuscum vel subfuscum. Ima basis segmentorum abdominalium singulorum plerumque subfusca; hypopygium maris cum ultimo abdominis segmento saturate fuscum. Pedes dilutissime lutescentes. tarsis nigricantibus. Halteres pallidi. Alae lutescentes, vittâ subapicali postice abbreviatâ dilute subfuscâ; ramulus anterior venae longitudinalis tertiae obliquus, sed brevis. — (District Columbia; Osten Sacken.)

Nota. Haec nostra *Platyura diluta* a *Platyurâ subterminali* Say distinguitur alarum fasciâ ab apice minus remotâ, dilutiore et postice magis abbreviatâ; praeterea vena longitudinalis tertia *Platyurae subterminalis* ramulum perpendicularem, *Platyurae* nostrae obliquum emittit.

10. *Platyura mendica*, nov. sp. ♀. — *Lutea*, segmentorum abdominalium singulorum basi subfusca, alis aequaliter subcinereis, venâ auxiliari paulo ante cellulæ marginalis basim in costam excurrente, venae tertiæ ramulo anteriore longiusculo, obliquo. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Lutea, pedibus dilutioribus, tarsis nigricantibus. Antennarum flagellum breviusculum, fusco-nigrum, articulis duobus vel tribus primis dilutissime luteis. Segmenta abdominalia singula adversus basim subfusca. Halteres pallidi. Alae aequaliter et dilute luteo-cinereae, venis fuscis; vena auxiliaris paulo ante venae tertiæ initium costam petit; venae longitudinalis tertiæ ramulus anterior longiusculus et obliquus; cellula marginalis secunda longa et latiuscula. — (New-York; Osten-Sacken.)

11. *Platyura mendosa*, nov. sp. ♂. — *Lutea*, alis dilute luteo-cinereis, venae longitudinalis tertiæ apice colore saturatius cinereo circumfuso, venâ auxiliari perbrevis. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Lutea, colore abdominis in subfuscum vergente, tarsis nigricantibus. Antennae adversus basim luteae, adversus apicem fuscae. Halteres pallidi. Alae dilute luteo-cinereae, adversus costam magis lutescentes, venis luteis, costali et longitudinalis tertiæ apice obscurioribus, hoc nubeculâ cinereâ circumfuso; vena auxiliaris perbrevis longe ante venae tertiæ basim cum costâ conjungitur; venae longitudinalis quartæ basis a venulâ transversâ intervallo minore quam in *Platyrus* plerisque distat; ramulus anterior venae longitudinalis tertiæ obliquus; cellula marginalis secunda perlonga, sed angusta. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

12. *Platyura melasoma*, nov. sp. ♀. — *Nigra*, halteribus pedibusque dilute luteis, alis ex luteo cinerulentis, apice tamen adversus costam subfusco, venulâ transversâ subcostali nullâ. — Long. corp. 3 lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Nigra. Mesothoracis margo anticus latera versus marginesque laterales anguste lutei. Scutellum nigro-fuscum, luteo marginatum. Abdomen nigrum et nigro-pilosum, colore segmenti primi in fuscum vergente. Pedes cum coxis dilute lutescentes, tibiis modice obscurioribus, tarsis nigricantibus. Alae subhyalinae, dilute luteo-cinereae, apice saturatius cinereo, adversus costam subfusco; venae ex luteo subfuscae, costalis obscurior; vena auxiliaris, reliquis tenuior et pallidior, ibi in costam excurrit ubi vena tertia incipit, cum venâ

longitudinali primâ venulâ transversâ nullâ conjungitur; cellularum marginalium prima anguste aperta, altera pro portione longa: ramulus anterior venae longitudinalis tertiae longiusculus et obliquus. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

13. *Empheria bulioptera*, nov. sp. ♀. — *Magna*, alarum cellulâ marginali primâ quam cellulae posterioris secundae pedunculus longiore, venulâ transversâ subcostali prope basim cellulae marginali primae insertâ. — Long. corp. $3\frac{1}{6}$ lin., long. al. 3 lin.

Lutea vel sordide lutea, pilis totius corporis nigris. Caput paulo obscurius; antennae rufo-ferrugineae, apicem versus nigrae; palpi nigri. Abdomen exempli descripti contusum, ita ut discernere nequeam, num segmenta singula postice nigro-marginata sint. Color tibiæ quam femorum impurius; tarsi nigricantes. Alae ex cinereo lutescentes, adversus costam luteae; vena costalis ultra venae longitudinalis tertiae finem paululo producta; venula transversa subcostalis prope basim in cellulam marginalem primam inserta; haec cellula permagna, quam cellulae posterioris secundae pedunculus longior; macula fusca, inde a venâ auxiliari usque ad venam longitudinalem quartam pertinens, venulam transversam subcostalem, venae tertiae segmentum primum venulamque transversam ordinariam excludit et in venâ quartâ usque ad cellulae posterioris secundae basim producitur, ita ut pedunculus hujus cellulae fuscolimbatus sit; venae tertiae ramulus anterior, quo cellularum marginalium prima a secundâ distinguitur, maculâ parvâ fuscâ circumdatur; apex alae ut in *Empheriis* plerisque late fuscus; anguli postici dimidium apicale fere totum fuscum, extremo tamen ejus apice excepto. — (Illinois; Le Baron.)

14. *Empheria didyma*, nov. sp. ♀. — *Majuscula*, alarum cellulâ marginali primâ quam cellulae posterioris secundae pedunculus multo brevior, venulâ transversâ subcostali ab utroque ejus termino pari intervallo separatâ. — Long. corp. $2\frac{1}{5}$ lin., long. al. $2\frac{2}{3}$ lin.

Synon. *Sciophila bimaculata* Loew, Centur. VII. No. 9.

Lutea. Flagellum antennarum fusco-nigrum; palpi nigri. Abdominis segmentum primum margine postico lateribusque exceptis nigro-fuscum; in segmentorum intermediarum marginibus posticis maculae binae transversae nigrae conspiciuntur. Tarsi apicem versus nigricantes. Halteres lutei. Alae dilute cinerascens, adversus costam obsolete sublutescentes; vena costalis ultra venae longitudi-

nalis primae apicem paululo producta; venula transversa subcostalis ab utroque cellulae marginalis termino pari intervallo separatur vel ab ejus basi paulo latius quam ab apice distat; cellula marginalis prima mediocris, quam cellulae posterioris secundae pedunculus multo brevior; segmentum primum venae longitudinalis tertiae et venula transversa ordinaria maculâ parvâ cinereo-fuscâ includuntur; apex alae et anguli postici apex late cinereo-fusci. — (English River; Kennicott.)

Nota. *Sciophila* (*Empheria*), cui *bimaculatae* nomen imposui, propter *Sciophilam bimaculatam* v. Ros. alio nomine notanda fuit, quare eam hic *Empheriae didymae* nomine e speciminibus melius conservatis iterum descripsi.

15. *Empheria nepticula*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Minuta, pallide flavescens, abdomine nigro - annulato, alis subfusco - bifasciatis, venâ auxiliari et venulâ transversâ subcostali subobsoletis, hac ante cellulam marginalem primam sitâ.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Dilute flavescens, antennis concoloribus, palpis nigris, vertice et thoracis dorso plerumque sordide luteis, segmentis abdominalibus primo. tertio et quinto nigris, segmenti tertii dimidio anteriore nigro vel fusco; latera segmenti primi etiam in speciminibus maturis dilute flava sunt, in speciminibus immaturis segmentum primum plerumque totum flavescit. Halteres pallidi. Alae subhyalinae, levissime cinerascens; vena costalis longe ultra venae longitudinalis primae finem pergit; vena auxiliaris quam venae reliquae tenuior et pallidior, subobsoleta, supra venae tertiae basim costam petens plane deliquescit; venula transversa subcostalis prope venae auxiliaris apicem et paulo ante cellulam marginalem primam sita est; cellulae posterioris secundae pedunculus quam in congeneribus longior, triplicem cellulae marginalis primae longitudinem prope attingit; fascia fusco-cinerea a cellulâ marginali primâ ad alae marginem posticum demissa prope hunc subobsolescit; alae triens apicalis fusco-cinereus, summo apice tamen dilutius cinereo, ita ut fascia latissima subapicalis appareat. — (Georgia.)

Nota. *Empheria nepticula* diversâ venae auxiliaris fabricâ et cellulae posterioris secundae pedunculo longiore ab *Empheriis* veris recedit; a reliquis *Mycetophilidarum* generibus plane aliena est.

16. *Polylepta fragilis*, nov. sp. ♀. — *Nigro-fusca*, *antennarum basi, coxis pedibusque praeter tarsos pallide flavis, alis cinereis, venâ auxiliari ubi venulam subcostalem emittit subito abruptâ, cellulâ marginali primâ majusculâ, duplo longiore quam latiore*. — Long. corp. 2 lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Nigro-fusca, polline albido levissime aspersa, subopaca. Antennae fusco-nigrae, imâ flagelli basi scapoque luteis, primo tamen hujus articulo superne fusco. Palpi pallide lutescentes. Coxae et pedes dilute flavicantes, tarsis praeter imam basim fusco-nigris. Halteres pallidi. Alae subhyalinae, colore ex fusco cinereo dilute tinetae; venae fuscae; vena costalis venam longitudinalem tertiam non transgreditur; cellula marginalis prima majuscula et duplo fere longior quam latior est; anticus ejus margo venulâ transversâ subcostali in partes aequales dividitur; vena auxiliaris, inde ab alae basi usque ad venulam transversam subcostalem valida. hic subito finem habet; venula transversa ordinaria brevitate excellit; cellulae posterioris secundae pedunculus, quam cellula ipsa paulo brevior. duplicem cellulae marginalis primae longitudinem satis excedit; cellulae posterioris quartae basis ab alae basi paululo longius abest quam cellulae posterioris primae basis. — (Massachusetts.)

17. *Sciophila onusta*, nov. sp. ♀. — *Lutea, antennarum flagello, vittis thoracis duabus latissimis segmentorumque abdominulium dimidio posteriore fusco-nigris*. — Long. corp. $1\frac{5}{8}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Lutea, pilosula, pilis validioribus nigris. reliquis pallidis. Caput concolor. vertice subfusco; scapus antennarum dilute luteus; flagellum fusco-nigrum, articulis primis plerumque dilute luteis; palpi subfusi. Thoracis dorsum vittis duabus latissimis fusco-nigris, antice abbreviatis pictum; praeterea in antico dorsi margine interdum vittae mediae initium subfuscum conspicitur. Discus scutelli subfusens. Plenrae maculis subfuscis obsolete variegatae. Dimidium apicale segmentorum abdominalium singulorum fusco-nigrum. Coxae et pedes dilute flavicantes, tarsis fuscis. Alae aequaliter cinerae, venis fuscis; vena auxiliaris, quae in costam excurrit venisque reliquis tenuior et pallidior est, adversus finem validior et fusca fit; cellula marginalis prima majuscula, margine antico venulâ transversâ subcostali in partes subaequales diviso et quam margo posticus modice longiore; pedunculus cellulae posterioris secundae sesquialteram cellulae marginalis primae longitudinem fere aequiparat; pedunculus cellulae posterioris quartae quam venae quartae

segmentum primum paululo brevior. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

18. *Sciophila obtruncata*, nov. sp. ♂. — *Nigro-fusca*, antennarum basi, humeris, abdominis fasciis pedibusque luteis, alarum venâ auxiliari imperfectâ et cellulâ marginali primâ majusculâ. — Long. corp. $1\frac{2}{3}$ lin., long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput fusco-nigrum, dimidio inferiore faciei dilutius fusco. Antennae fusco-nigrae, scapo tamen primisque flagelli articulis dilute luteis; palpi lutei. Thorax nigro-fuscus, pilis nigris instructus, humeris late luteis, margine laterali exalbido vel dilutissime lutescente; scutellum nigro-fuscum; pleurarum dimidium superius sordide lutescens, inferius fuscum. Segmenta abdominalia primum, sextum et septimum tota nigra, reliqua praeter fasciam apicalem singulorum lutea. Hypopygium parvum, luteum. Pili abdominis nigri. Coxae et pedes dilute lutescentes, tarsis fuscis. Halteres pallidi. Alae leviter et aequaliter cinerascens, venis fuscis; vena auxiliaris paulo ultra venulam transversam subcostalem pergit, ubi subito finem habet; cellula marginalis prima majuscula, margine antico quam posticus modice longiore et venulâ transversâ subcostali in partes aequales diviso; cellulae posterioris secundae pedunculus cellulam ipsam aequat; primum venae longitudinalis quartae segmentum a primo quintae segmento longitudine paulo superatur. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

19. *Sciophila appendiculata*, nov. sp. ♂. — *Dilute lutea*, antennarum flagello praeter basim abdomineque praeter segmentorum marginem posticum fusco-nigris, alarum cellulâ marginali primâ parvâ, quam reliqua ala distinctius cinereâ, hypopygio luteo, appendicibus duabus atris instructo. — Long. corp. $1\frac{7}{8}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ lin.

Caput luteum, palpis concoloribus. colore verticis in fuscum vergente. Antennae fusco-nigrae, scapo tamen primisque flagelli articulis luteis. Thorax dilute luteus, dorso paulo saturatius tincto, nigro-piloso. Abdomen fusco-nigrum, segmentorum singulorum margine postico luteo-limbato, paenultimo tamen segmento vel toto nigro, vel tenuiter subfusco-marginato. Hypopygium parvum, luteum, appendicibus lateralibus linearibus, atris et nigro-pilosis. Coxae et pedes dilutissime lutescentes, tarsis nigro-fuscis. Halteres pallidi. Alae hyalinae, adversus apicem et marginem posticum leviter cinerascens, cellulâ submarginali primâ saturatius cinereâ, venis fuscis;

vena auxiliaris, adversus basim tenuior. et dilutius picta, in costam excurrit; cellula marginalis prima parva, margine antico quam posticus longiore; ab hujus cellulae apice venula transversa subcostalis longius quam a basi remota est; pedunculus cellulae posterioris secundae triplicem cellulae marginalis primae longitudinem excedit, cellulae ipsius longitudinem vix aequat; primum venae longitudinalis quartae segmentum primo venae quartae segmento paulo brevius est. — (New-York.)

20. *Sciophila biseriata*, nov. sp. ♂. — *Lutea. vertice maculisque pleurarum subfuscis, abdominis segmentis singulis utrinque maculâ laterali fusco-nigrâ pictis, alis aequaliter ex luteo cinereis, venis fuscis, cellulâ marginali primâ magnâ.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{7}{8}$ lin.

Dilute lutea, verticis tamen colore in fuscum vergente. (Antennae et palpi speciminis unici desiderantur.) Thoracis dorsum nigro-pilosum. Pleurae colore subfusco bimaclatae. Abdomen nigro-pilosum; segmenta singula praeter primum utrinque maculâ triangulari fusco-nigrâ, ex angulo antico fere ad marginem posticum usque productâ ornantur. Pedes dilute lutescentes, tarsis apicem versus nigro-fuscis. Alae colore ex luteo cinereo aequaliter tinctae et venis ex luteo fuscis instructae; vena auxiliaris in costam excurrentes in alâ dextrâ ante apicem extremum subobsoleta sit; cellula marginalis prima permagna marginem anticum postico paulo longiorem, venulâ transversâ subcostali in partes subaequales divisum habet; pedunculus cellulae posterioris secundae quam cellula ipsa brevior, ad duplicem cellulae posterioris primae longitudinem prope accedit; primum venae longitudinalis quartae segmentum primo quintae segmento subaequale. — (Red River; Kennicott.)

21. *Sciophila tantilla*, nov. sp. ♀. — *Pallide lutescens, capite, antennarum flagello praeter basim, thoracis dorso praeter humeros et praeter margines laterales, abdomine denique fere toto fusco-nigris, alis hyalinis.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ lin.

Pallide lutescens. Caput nigrum, palpis, antennarum scapo primisque flagelli articulis pallidis, reliquo flagello fusco-nigro. Thoracis dorsum nigrum, nitidum, humeris late et marginibus lateralibus anguste pallidis; metanotum fusco-vittatum. Abdomen speciminis descripti mutilatum; segmenta prima fusco-nigra, basi singulorum pallidâ. Pedes cum coxis pallidi, tarsis praeter basim fuscis. Alae hyalinae, adversus apicem et marginem posticum vix cinera-

scentes, venis validioribus fuscis, tenuioribus ex luteo subfuscis; vena auxiliaris costam petit; cellula marginalis prima parva, margine antico quam posticus longiore; cellula posterior secunda latiuscula, basi quam in reliquis speciebus minus acutâ, quam pedunculus brevior, qui fere quadruplicem cellulae marginalis primae longitudinem aequiparat; primum venae longitudinalis quintae segmentum quam primum quartae modice longius — (Nebraska.)

22. *Lasiosoma quadratula*, nov. sp. ♀. — *Lutea, antennis, capite abdomineque nigro-fuscis, alis cinereis, cellulâ marginali primâ minutâ, cellulae posterioris quartae pedunculo et venâ auxiliari subaequalibus.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{5}{8}$ lin.

Lutea, pilis pallidis vestita. Caput nigro-fuscum, antennis praeter basim rufam concoloribus, palpis dilute luteis. Thoracis dorsum non vittatum; metathoracis color in fuscum vergens. Abdomen fusco-nigrum, margine postico segmentorum singulorum latera versus plerumque sordide lutescente, extremo abdominis apice luteo. Pedes cum coxis lutei, tarsi basi exceptâ nigro-fuscis. Halteres lutei. Alae latae, dilute cinerascetes, venis validioribus fuscis, tenuioribus ex fusco luteis; cellula marginalis prima minuta, quadrata, margine antico venulâ transversâ subcostali in partes aequales diviso; pedunculus venae posterioris quartae venae auxiliari aequalis vel subaequalis. — (Maine.)

Nota. *Lasiosoma quadratula* a *Lasiosomâ pallipe* Say, cui affinis, thorace non fusco, alarum venis saturatius tinctis, venulâ transversâ subcostali non in cellulae marginalis primae basim insertâ et pedunculo cellulae posterioris quartae quam vena auxiliaris non longiore differt.

23. *Eudicrana obumbrata*, nov. sp. ♀. — *Pallide lutescens, antennarum flagello, vertice et occipite nigro-fuscis, abdomine nigro, segmentis tertio, quarto, quinto et sexto trifariam flavo-maculatis, alis leviter cinerascetibus, apice et margine postico saturatius cinereis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput nigro-fuscum, inferiore faciei dimidio, genis palpisque dilute luteis. Scapus antennarum luteus, flagellum fusco-nigrum. Thoracis dorsum, scutellum et metanotum lutea, pilis longioribus validioribusque nigris, brevioribus tenuioribusque fuscis instructa. Pleurae pallide lutescentes, prope coxas punctis lineolisque nigris subreticulatae. Abdomen nigrum, segmentis primis duobus et ultimo immaculatis, reliquis trifariam nigro-maculatis; appendices anales

breves, luteae. Coxae pallide luteae, pilis validioribus nigris tenuioribusque pallidis vestitae. Pedes pallide lutescentes, tibiarum calcaribus tarsisque fuscis. Halteres pallidi. Alae subcinereae, apice et marginis postici limbo saturatius cineris; vena auxiliaris paulo ante cellulae marginalis primae apicem in costam excurrit; cellulae posterioris secundae pedunculus quam cellula marginalis prima brevior; cellula posterior quarta propius ad alae basim accedit quam prima. — (New-York; Osten-Sacken.)

Nota. *Eudicrana*, novum *Sciophilinorum* genus, corporis formâ ac figurâ *Platyruram* simulat. Ocelli laterales oculis adjacent, intermedius plane obsoletus. Pedes tenues, tibiarum setulis mediocribus, calcaribus longis. Alae magnae, sed modice latae, pube quam in *Lasiosomis* fere longiore vestitae; vena costalis venam longitudinalem tertiam transgreditur; vena auxiliaris in costam excurrit et venulâ transversâ cum venâ longitudinali primâ conjungitur; cellula basalis pro portione brevis, marginalis prima longa; cellulae posteriores secunda et quarta perlongae, basium versus valde acuminatae; vena anguli postici prima subobsoleta; secunda conspicua, validiuscula, quam in reliquis *Sciophilinorum* generibus longior; tertia seu spuria longa, sed subobsoleta.

24. *Syntemna polyzona*, nov. sp. ♂. — *Lutea*, segmentis abdominalibus singulis postice nigro fasciatis. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ lin.

Laete lutea, nitida, luteo-pilosa. Caput concolor, facie palpisque pallidioribus, antennis apicem versus subfuscis. Ocelli tres, in lineam transversam dispositi, majusculi, intermedio tamen quam laterales minore, maculâ nigrâ inclusi. Thoracis dorsum unicolor, vix levissimo fasciarum vestigio; pleurae pallidissime flavescences. Abdomen laete luteum, segmentis singulis postice nigris, ita ut fasciae septem aequales appareant. Hypopygium breve, luteum, appendicibus adversus apicem nigro-fuscis. Coxae pallide flavescences, apicali trochanterum margine fusco. Pedes dilute flavicantes, tibiarum colore in subfuscum, tarsorum in fuscum vergente; tibiae anticae setis lateralibus destitutae, intermediae brevibus instructae; tibiae posticae in specimine descripto desunt. Halteres flavescences, capituli basi dilute subfuscâ. Alae ex cinereo lutescentes, latae, angulo postico rotundato, costâ venisque longitudinalibus primâ et tertiâ ex luteo subfuscis, reliquis luteis; vena auxiliaris ante venae longitudinalis tertiae initium in venam longitudinalem primam

excurrit, ita ut cellula basalis sesquialteram cellulae subcostalis longitudinem aequiparet. — (Middle States.)

Nota. A *Syntemna morosa* Winn., unicâ hujus generis specie adhuc cognitâ, nostra species oculo intermedio quam laterales minore, tibiis anticis setas laterales nullas gerentibus, venâ auxiliari brevior, cellulâ basali longiore cellulisque posterioribus secundâ et quartâ brevius pedunculatis differt.

25. *Boletina tricincta*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Atra, nitida, luteo-pilosa, fuscis abdominis tribus; halteribus, coxis pedibusque flavis, tarsis praeter basim fuscis.* — Long. corp. $1\frac{7}{12}$ lin., long. al. $1\frac{7}{12}$ lin.

Nitida, nigra, luteo-pilosa. Caput concolor; antennae fusco-nigrae. scapo et flagelli basi testaceis vel subfuscis; palpi flavicantes. Abdominis segmenta secundum, tertium et quartum fasciâ posticâ flavâ ornata. Venter praeter segmenta tria ultima flavus. Hypopygium maris parvum; lamellae anales foeminae pallidae. Coxae et pedes flavescentes, trochanteribus fusco-maculatis, tibiarum calcariibus subtestaceis vel sordide lutescentibus, tarsis praeter basim fuscis; tarsi antici maris graciles, foeminae tumescentes. Halteres flavicantes. Alae fusco-cinereae venis validioribus fuscis, tenuioribus subfuscis. — (Wisconsin; Maryland.)

26. *Phthinia tanypus*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Gracillima, thorace ferrugineo, halterum capitulo abdomineque nigro-fuscis, segmentis hujus adversus basim dilutioribus, hypopygio maris lamellisque analibus foeminae pallidis, alis subfuscis.* — Long. corp. 3— $3\frac{1}{4}$ lin., long. al. 2— $2\frac{1}{6}$ lin.

Gracillima, pedibus tenuissimis, valde elongatis. Caput luteum vel dilute subfuscum, vertice et superiore occipitis dimidio ex ferrugineo fuscis. Antennae pilosae, fuscae, scapo tamen et imâ flagelli basi dilute flavicantibus. Palpi flavi, apicem versus interdum subfusi. Thorax opacus, ex ferrugineo fuscus, pleuris dilutioribus. dorso non vittato, humeris et lineâ laterali inde ab humeris usque ad alarum basim ductâ albido-pollinosis. Abdomen tenue, perlongum, nigro-fuscum, segmentis singulis adversus basim plerumque dilutius pictis. Hypopygium maris parvum, exalbidum vel dilute flavescens; lamellae anales foeminae exalbidae. Coxae et pedes flavicantes, femoribus tamen praeter dimidium basale, tibiis totis tarsisque in speciminibus maturis plerumque obscurioribus. Halterum peduncu-

lus pallidus, capitulum fusco-nigrum. Alae colore saturate cinereo vel fusco-cinereo tinctae, venis nigro-fuscis. — (New-York; Osten-Sacken.)

27. *Glaphyroptera melaena*, nov. sp. ♂. — *Atra*, nitida, facie, basi antennarum intermediisque ventris segmentis luteis, palpis, halteribus totis, coxis pedibusque dilutissime lutescentibus, alarum fasciâ latâ subapicali et liturâ inter venam longitudinalem ultimam et venam axillarem sitâ nigris. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{5}{6}$ lin.

Atra, nitida, pilis lutescentibus vestita. Caput concolor, facie tamen luteâ; antennae nigrae, scapo primoque flagelli articulo luteis; palpi dilute lutescentes. Pleurae prope humeros triangulo exalbido notatae. Pili abdominis lutescentes; hypopygium atrum, nigro-pilosum. Coxae et pedes pallide flavescentes, femorum posticorum apice nigro, tibiaram posticarum apice postice infuscato; ultimi tarsorum articuli fuscis; tarsi postici quam tibiae paulo breviores. Alae pro portione longae, hyalinae; prope apicem fascia lata perpendicularis nigro-fusca, adversus posticum alae marginem dilutior et inter venam longitudinalem ultimam et venam axillarem litura nigro-fusca conspiciuntur. — (New-York.)

Nota. *Glaphyroptera melaena* *Glaphyropterae ventrali* Say similis est; hujus halteres non totae exalbidae sunt, sed capitulum nigrum habent.

28. *Glaphyroptera decora*, nov. sp. ♀. — *Lutea*, pleurarum maculâ posticâ vittulâque metanoti nigro-fuscis, fasciis abdominis nigris, alis prope apicem subobsolete fusco-fusciatis. — Long. corp. $1\frac{3}{4}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ — $1\frac{2}{3}$ lin.

Lutea, capite concolore. Antennarum flagellum praeter basim subfuscum vel fuscum; ocelli laterales colore nigro circumscripti, distinctissimi; ocellus intermedius nullus. Thoracis dorsum utrinque prope alae basin maculâ punctiformi fusco-nigrâ notatum, pilis validioribus nigris tenuioribusque lutescentibus vestitum. Discus scutelli fuscus. Metanoti vittula media fusca, tubera lateralia nigro-fusca. Segmenta abdominalia sextum et septimum tota atra, reliqua lutea et singula postice fasciâ atrâ ornata; fascia segmenti primi minus lata et interrupta, fasciae segmentorum reliquorum integrae et aequales. Ventris lutescentis segmenta duo ultima atra. Coxae et pedes lutescentes, apice femorum posticorum nigro, tibiaram calcaribus luteis tarsisque fere totis nigro-fuscis. Alae ex lu-

teo cinereae, adversus costam et basim magis lutescentes, venis validioribus fuscis, tenuioribus ex luteo fuscis; prope apicem alae fascia perpendicularis subfusca, adversus marginem posticum deliquescentem conspicitur et vena longitudinalis ultima postice liturâ subfuscâ adumbratur. — (Georgia.)

29. *Glaphyroptera opima*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Lutea, thoracis dorso maculis duabus lateralibus permagnis atris ornato, metanoto cum tuberibus lateralibus atro, abdomine nigro, angulis tamen anticis segmentorum singulorum et hypogygio maris luteis, alarum fasciâ subapicali, maculâ centrali et liturâ venam ultimam adumbrante fuscis.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput luteum, vertice et occipitis dimidio superiore fuscis; antennae fuscae, scapo primisque flagelli articulis luteis; palpi totii lutei. Thorax luteus, scutello concolore; dorsum nitidum, utrinque maculâ ingenti ovatâ atrâ ornatum, ita ut praeter trientem anticum et praeter vittam mediam totus ater sit; metanotum cum tuberibus lateralibus atrum, in speciminibus immaturis interdum fusco-nigrum. Pili thoracis lutei vel subfusci, ubi colore atro pictus est nigri vel nigricantes. Abdomen magis nigrum; basis segmenti secundi dilute lutea; segmenta sequentia angulos anticos colore dilute luteo tinctos habent, ita ut fasciae basales lutescentes, in medio abdomine interruptae vel valde angustatae appareant; hypopygium luteum et pilis dilute lutescentibus instructum; venter totus pallide luteus. In maribus quibusdam abdominis pictura lutea in sulphuream vel virescentem mutatur. Foeminae abdomen similiter pictum atque maris, anticis tamen segmentorum singulorum angulis minus late luteis. Coxae et pedes pallide lutescentes, extremo femorum posteriorum apice nigro tarsisque praeter basim nigro-fuscis. Halteres pallidi. Alae dilute cinereae, venis fuscis; fascia subapicalis fusca adversus costam modice dilatatur, adversus marginem posticum dilutior fit; macula fusca, in imâ cellulae posterioris primae basi sita, venam longitudinalem tertiam paulo transgreditur; vena longitudinalis ultima liturâ fuscâ postice adumbratur. — (Connecticut; Norton.)

30. *Glaphyroptera sublunata*, nov. sp. ♀. — *Lutea, segmentorum abdominalium singulorum fasciâ posticâ nigrâ utrinque abbreviatâ, alarum fasciâ subapicali tenui arcuatâ et liturâ venam longitudinalem ultimam adumbrante fuscis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Lutea, pilis lutescentibus vestita. Caput concolor; ocelli sin-

guli colore nigro tenuiter circumscripti, intermedius valde minutus; antennae apicem versus subfuscae; palpi dilute lutei. Thoracis dorsum utrinque prope alae basim maculâ punctiformi nigrâ notatum. Metathorax adversus marginem inferum plerumque subfuscus. Abdominis segmentum primum postice tenuiter nigro-limbatum; in segmentorum quatuor sequentium margine postico fascia nigra adversus latera subito angustata et longe a margine laterali abbreviata conspicitur; fascia nigra segmenti sexti angusta, latera versus paulatim attenuata; segmentum septimum breve, totum luteum. Venter dilute luteus. Coxae et pedes dilute lutescentes, extremo apice femorum posticorum nigro, tibiaram calcaribus luteis, tarsis praeter basim nigro-fuscis. Alae lutescentes, venis fuscis, adversus basim ex parte lutescentibus; prope apicem fasciâ tenui arcuatâ, postice paulo abbreviatâ ornantur et vena longitudinalis ultima postice liturâ fuscâ adumbratur. — (New-York; Osten-Sacken.)

Nota. *Platyurum* foemineam possideo, quam *Platyurae sub-lunatae* varietatem esse suspicor. Paulo minor est; fasciae nigrae abdominis tenuiores sunt; fascia subapicalis alarum latior et integra est; apex denique anguli postici colore dilute subfusco tingitur.

31. *Glaphyroptera oblectabilis*, nov. sp. ♀. — *Lutea*, antennis adversus apicem nigricantibus, femorum posticorum apice nigro, singulis abdominis segmentis postice fasciâ nigrâ, in medio abdomine triangulariter dilatatâ ornatis, alarum fasciâ subapicali latiusculâ, maculâ centrali et anguli postici apice fuscis. — Long. corp. $1\frac{5}{12}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Lutea, capite toto concolore. Palpi et antennae dilute lutescentes, hae apicem versus nigricantes. Ocelli nigri. Thorax totus unicolor, pilis luteis, validioribus tamen plerumque fuscis instructus. Fascia postica nigra segmenti abdominalis primi in medio abdomine modice dilatatur; fasciae nigrae segmentorum sequentium in triangulum usque ad marginem anticum producuntur; segmentum sextum fere totum nigrum vel nigro-fuscum; segmentum septimum breve, cum extremo abdominis apice colore luteo tinctum. Venter luteus, segmento sexto nigro, in speciminibus immaturis fusco. Pedes pallide lutescentes, apice femorum posticorum nigro, calcaribus tibiaram luteis et tarsis apicem versus subfuscis. Halteres pallidi. Alae ex luteo dilute cinereae, adversus costam paulo distinctius lutescentes; fascia latiuscula subapicalis, integra et leviter arcuata, macula centralis in basi cellulae posterioris primae sita et apex

anguli postici colore fusco tinguntur. — (Middle States; Osten-Sacken.)

32. *Leja sororcula*, nov. sp. ♂. — *Dilutissime lutescens*, *antennis praeter scapum, thoracis dimidio posteriore femorumque posticorum apice nigris, abdominis segmentis quatuor primis postice fusco-marginatis, quinto et sexto totis nigris; apex alarum fuscus; cellula posterior secunda dimidiam primae longitudinem fere aequipans, in basi anguste aperta.* — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ — $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ lin.

Pallidissime lutescens, pilis pallidis vestita. Caput concolor, vertice tamen et occipitis dimidio superiore nigro-fuscis. Scapus antennarum pallidus, flagellum praeter basim pallidam articuli primi nigrum. Thoracis dimidium posterius totum nigrum, sed ita ut color niger in medio dorso latius procedat quam in lateribus, ubi paulo ante alarum basim finitur. Segmentum abdominale primum in margine postico fasciolâ nigrâ, utrinque valde abbreviatâ pictum est; in margine postico segmenti secundi fascia difformis nigro-fusca conspicitur, quae in lateribus abdominis subito usque ad marginem anticum dilatata est; fascia nigro-fusca in segmenti tertii margine postico utrinque modice abbreviatur; segmentum quintum fasciam obsoletiore fuscâ gerit; segmenta quintum et sextum tota nigra. Hypopygium luteum, appendicibus tamen obscurioribus et apice nigro-piloso. Pedes cum coxis pallidi, femorum posticorum apice nigro; setae tibiârum nigrae, calcaria lutea; tarsi anteriores inde ab articuli primi apice, postici praeter articuli primi basim fusci. Alae ex luteo dilute cinerascens, apice minus late fusco, ita ut ramulus anterior venae longitudinalis quartae extra colorem nigrum initium habeat; vena longitudinalis ultima postice obsoletissime colore subfusco adumbratur; cellula posterior secunda, in basi angustissime aperta, quam cellulae posterioris primae dimidium vix brevior est. — (New-York.)

33. *Leja abbreviata*, nov. sp. ♀. — *Dilutissime lutescens, antennis adversus apicem, thoracis vittis confluentibus, antice valde abbreviatis, metathorace toto femorumque posticorum apice nigris, abdominis segmentis singulis postice subfusco-marginatis; apex alarum late fuscus; cellula posterior secunda quam primae dimidium multo brevior, in basi late aperta.* — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ — $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ lin.

Pallidissime lutescens, pilis pallidis vestita. Caput concolor,

vertice et superiore occipitis dimidio nigro-fuscis. Antennae pallidae, scapo adversus apicem nigricante. Thoracis dorsum vittis tribus nigris, postice confluentibus, antice subsejunctis et maximopere abbreviatis pingitur. Scutellum nigrum; metathorax cum tuberibus lateralibus colore nigro-fusco tingitur; idem color basim alarum cingit. Abdomen speciminis immaturi vestigium tantum fasciarum fuscicarum ostendit. Pedes a pedibus *Lejae sororculae* non differunt, nisi tarsis posticis totis fuscis. Alae ex luteo dilute cinerascetes, apice late fusco, ita ut ramulus anterior venae longitudinalis quartae totus in colorem nigrum immersus sit; vena longitudinalis ultima postice distincte colore fusco adumbratur; cellula posterior secunda, in basi late aperta, quam cellulae posterioris primae dimidium multo brevior est. — (Middle States.)

Nota. *Lejae abbreviatae* exempla matura eandem, quam *Leja sororcula* habet, picturam habere suspicor; alarum apex latius fuscus, ramulus anterior venae longitudinalis quartae brevior et validior, basis denique cellulae posterioris secundae latius aperta *Lejam abbreviatam* a *sororcula* certo distinguunt.

34. *Acnemia psylla*, nov. sp. ♂. — *Nigra*, halterum capitulo concolore, coxis pedibusque flavescentibus. — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{6}$ lin.

Nigra, nitida, pilis pallidis, adversus apicem abdominis obscurioribus vestita. Caput concolor, antennis fusco-nigris, adversus basim dilute subfuscis vel luteis. Hypopygium majusculum, nigro-fuscum. Coxae et pedes flavescentes, trochanteribus puncto nigro notatis, tibiarum calcaribus flavis, tarsis subfuscis. Halterum pedunculus flavescent, capitulum nigrum. Alae cinerascetes, venis validioribus fuscis, tenuioribus dilute subfuscis. — (Maryland.)

35. *Docosia dichroa*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Nigra*, abdomine rufo, hypopygio maris cum ultimis duobus abdominis segmentis nigro, pedibus luteis. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{7}{12}$ lin., long. al. $1\frac{2}{3}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput nigrum; antennae concolores; palpi fusci vel subfusci. Thorax totus ater et nitidus. Abdomen foeminae totum ex ochraceo rufum, maris segmenta duo ultima et hypopygium atra. Pedes cum coxis ex ochraceo lutei, tarsis anticis inde ab articuli primi apice, posterioribus totis fuscis. Halteres lutei. Alae hyalinae, venis longitudinalibus primâ et tertiâ cum venulâ transversâ ordinariâ, venulâ transversâ subcostali et venâ costali nigris. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

36. *Rymosia filipes*, nov. sp. ♀. — *Ex ochraceo testacea, segmentorum abdominalium singulorum fasciâ posticâ fuscâ, in medio abdomine dilatatâ.* — Long. corp. $2\frac{3}{4}$ lin., long. al. $2\frac{1}{6}$ lin.

Ex ochraceo testacea, opaca. Caput concolor; antenna longae, tenues, fuscae, scapo et imâ flagelli basi lutescentibus; palpi lutei vel ex luteo testacei. Setae thoracis et scutelli nigrae. Abdominis segmenta primum et ultimum fere tota fusca, reliqua singula postice fasciâ fuscâ, in medio abdomine valde dilatatâ instructa. Hypopygium luteum, quam ultimum abdominis segmentum paulo brevius; penis exsertus; lamellae terminales breves; lanceolatae, sursum directae, nigro-pilosulae. Coxae sordide lutescentes, pilis brevibus setisque nigris. Pedes tenues, perlongi, sordide lutescentes, tibiæ colore in subfuscum vergente, calcaribus tibiæ tarsisque nigro-fuscis. Alae ex luteo cinereae, adversus costam sordide lutescentes. — (Connecticut; Norton.)

37. *Trichonta vulgaris*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Flavescens, antennis praeter basim, fronte, vittis thoracis tribus, pleuris, scutello, metanoto et abdomine fuscis, segmentis hujus singulis, primo tamen excepto, postice flavido-fasciatis, pedunculo cellulae posterioris quartae et primo venae quartae segmento aequalibus.* — Long. corp. $1\frac{2}{3}$ — $1\frac{3}{4}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ — $1\frac{2}{3}$ lin.

Caput fuscum, fronte pilis brevibus pallidis cinerascens; antennae nigro-fuscae, scapo primisque duobus vel tribus flagelli articulis luteis; palpi dilute lutei. Thoracis dorsum flavescens, vittis tribus fuscis interdum confluentibus, lateralibus antice valde abbreviatis, intermediâ integrâ et adversus anticum marginem dorsi valde dilatatâ; pili et setulae thoracis omnes dilutissime flavescens. Pleurae fuscae, inter coxas anticas et humeros flavae. Scutellum metanotumque fusca. Abdomen fuscum, segmentis singulis praeter primum postice flavo-fasciatis. Segmentum sextum maris occultum; hypopygium mediocre nigrum. Segmentum sextum foeminae breve, plerumque adversus basim fuscum, interdum totum flavescens; vaginae appendices superae minutae et flavescens vel lutescentes, lamellae inferae majusculae et nigrae. Coxae et pedes dilute flavicantes, tarsi adversus apicem subfuscis; articuli tarsorum quatuor ultimi in foeminâ infra levissime tumidi. Halteres pallidi. Alae cinereae, adversus costam sublutescentes, venis validioribus nigro-fuscis, tenuioribus subfuscis; cellula posterior quarta propius ad alae basim ascendens quam in *Trichontis* plerisque, ita ut pedunculum primo venae quartae segmento aequalem habeat. — (Maryland; District Columbia, Osten-Sacken.)

38. *Trichonta foeda*, nov. sp. ♀. — *Fusca*, antennarum basi, facie, thoracis dorso praeter vittas ordinarias, halteribus, coxis pedibusque flavis, segmentis abdominalibus singulis udversus basim sordide lutescentibus, pedunculo cellulae posterioris quartae quam primum venae quartae segmentum multo longiore. — Long. corp. $1\frac{5}{8}$ lin., long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput nigro-fuscum, facie tamen flavescente; antennae nigro-fuscae, scapo primisque flagelli articulis flavis vel luteis; palpi lutescentes, articulo primo et extremo articuli ultimi apice plerumque fuscis. Thoracis dorsum flavicans, vittis tribus nigro-fuscis, latera libus antice valde abbreviatis, intermediâ integrâ et adversus marginem anticum thoracis dilatata. Pubes brevis dorsi certo luminis situ magnâ ex parte pallescens; setulae omnes nigrae. Metanotum et scutellum fusca, hoc setulis marginalibus nigris instructum; pleurae fuscae vel subfuscae. Abdominis fuscis segmenta singula adversus basim sordide lutescunt vel flavicant. Coxae et pedes pallide flavicantes, tarsi adversus basim nigro-fuscis. Halteres pallidi. Alae cinerae, adversus costam sublutescentes, venis validioribus fuscis, tenuioribus subfuscis; cellula posterior quarta quam in congeneribus plerisque brevior, ita ut extrema ejus basis ab alae radice aequali intervallo quam basis cellulae posterioris secundae distet. — (Middle States.)

39. *Zygomyia ignobilis*, nov. sp. ♀. — *Fusca*, ventre, coxis pedibusque flavis, alis immaculatis. — Long. corp. $1\frac{1}{3}$ lin., long. al. $1\frac{1}{3}$ lin.

Fusca, subopaca, pilis brevibus appressis dilute flavicantibus vestita, setulis tamen in posticâ dorsi parte et in scutelli margine nigris. Caput concolor; scapus antennarum luteus vel ochraceus, articulo basali superne, terminali in extremo apice fuscis; flagellum fusco-nigrum, imâ tantum articuli primi basi luteâ. Lamellae anales fuscae, venter flavescens. Coxae et pedes dilute flavescentes; femora antica superne obsoletius, posteriora saturatius subfusco-vittata; apex horum fuscus; tarsi subfusci. Halteres pallidi. Alae immacolatae, ex cinereo sublutescentes, venis validioribus fuscis, tenuioribus subfuscis. — (Middle States.)

40. *Zygomyia ornata*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Fusca*, humeris antennarumque basi luteis, coxis pedibusque pallide flavicantibus, alarum maculâ centrali et fasciâ subapicali fuscis. — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ — $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. 1 — $1\frac{1}{2}$ lin.

Parva, fusca vel nigro-fusca, opaca, pilis brevibus dilute lutescentibus vestita, setis tamen in posticâ thoracis parte et in scutello nigris. Caput concolor; antennae nigro fuscae, scapo et flagelli basi luteis; palpi dilutius lutei. Humeri sordide lutei vel ochracei. Hypopygium maris parvum. subimmersum, luteum; appendices anales foeminae ex subfusco lutei. Coxae et pedes dilutissime flavescens vel albicantes; femora intermedia in extremo apice, postica paulo latius nigricantia; tibiaram posteriorum apex nigricans; tarsi praeter basim subfusci. Halteres exalbidi. Alae cinerascens, costam versus sublutescentis, maculâ centrali usque ad costam pertinente et fasciâ subnormali, ex cellulae costalis apice demissâ et adversus marginem posticum alae deliquescente fuscis. — (Pennsylvania).

41. *Epicrypta pulicaria*, nov. sp. ♀. — *Nigra, modice nitens, coxis pedibusque pallide flavicantibus, antennis tarsisque fuscis; alae cinereae adversus costam lutescentis.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{6}$ — $1\frac{1}{4}$ lin.

Nigra, modice nitens, pube brevi appressâ nigricante vestita. Caput concolor, palpis luteis, antennis fuscis, harum tamen scapo plerumque et imâ flagelli basi interdum rufis. Coxae et pedes pallidissime flavescens, tibiaram calcaribus tarsisque anticis fuscis, tarsis posterioribus subfuscis; tibiae intermediae infra setis binis instructae. Halteres albidi. Alae ex luteo cinereae, cellulâ costali totâ et priore cellulae marginalis dimidio luteis. — (Pennsylvania.)

42. *Mycothera paula*, nov. sp. ♀. — *Parva, alarum maculâ centrali, fasciâ et limbo apicali fuscis, cellulâ posteriore quartâ perbrevis.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. 1 lin.

Caput fusco-nigrum, opacum, facie fuscâ; antennarum scapus cum tribus vel quatuor primis antennarum articulis luteus, reliqui flagelli articuli nigro-fusci; palpi lutei. Thoracis dorsum ex ochraceo testaceum, interdum colore subfusco obsolete trifasciatum, marginibus lateralibus leviter albido-pollinosis; pubes dorsi brevis, lutea, adversus margines laterales exalbida; setae nigrae. Scutellum ex ochraceo testaceum, setis marginalibus nigris instructum. Coxae et pedes pallidissime flavicantes, femorum posticorum tibiaramque posticarum extremo apice fusco, tarsis praeter imam basim fusco-nigris. Alae cinereo-hyalinae, maculâ centrali et fasciâ inde a cellulae costalis apice subnormaliter demissâ et adversus marginem posticum deliquescente fuscis, apice late cinereo-limbato; cellula posterior quarta brevissima. — (Middle States.)

43. *Mycetophila exstincta*, nov. sp. ♀. — *Obscura, alis maculâ centrali obsoletissime cinereâ pictis, tibiis intermediis infra setas ternas gerentibus.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ lin.

Caput fuscum, opacum, facie et partibus oris dilute luteis. Scapus antennarum flavus, flagellum nigricans, imâ tamen basi interdum flavâ. Thorax fuscus, subopacus, humeris et angulis posticis luteis. Scutellum totum nigro-fuscum. Abdominis segmenta quinque prima fusca, venter et abdominis apex flavi, lamellis tamen terminalibus paulo saturatius tinctis. Coxae pedesque pallide flavescentes, extremo tantum femorum posticorum apice fusco, tarsis subfuscis; tibiae intermediae infra setis ternis armatae; tibiae posticae apicem versus modice crassiores; tarsi pro portione tennes, primo posticorum articulo reliquis quatuor simul suntis subaequali. Venae alarum luteae, in maculâ centrali obsoletissimâ fuscae. — (Middle States; Osten-Sacken.)

44. *Mycetophila bipunctata*, nov. sp. ♀. — *Obscura, abdominis cingulis pallidis nullis, alis maculâ centrali fuscâ pictis, tibiis intermediis infra setas binas gerentibus, primo tarsorum posticorum articulo reliquis quatuor simul suntis vix brevior.* — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ lin., long. al. $1\frac{1}{6}$ lin.

Caput fuscum, opacum, facie et partibus oris dilute luteis. Scapus antennarum flavus, flagellum nigricans, imâ tamen basi interdum flavâ. Thorax nigro-fuscus, humeris luteis. Scutellum et abdomen nigro-fusca, extremo hujus apice et ventre flavis. Coxae pedesque pallide flavescentes, extremo tantum femorum posticorum apice fusco, tarsis subfuscis; tibiae intermediae infra setis binis instructae; tibiae posticae apicem versus modice crassiores; tarsi pro portione tennes, primo posticorum articulo reliquis quatuor simul suntis aequali. Alae maculâ centrali parvâ, saturate fuscâ notatae. — (Wisconsin.)

45. *Mycetophila mutica*, nov. sp. ♀. — *Thorax ex luteo rufus, abdomen obscurum; alae maculâ centrali minutâ fuscâ pictae; tibiae intermediae infra setis nullis instructae.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput ex luteo rufescens, fronte subcinerascens, facie et partibus oris dilute luteis. Scapus antennarum pallide flavescent, flagellum dilute subfuscum. Thorax ex luteo rufescens, opacus. Scutellum concolor. Abdomen fuscum, segmentis quatuor ultimis latera versus late luteis. Coxae et pedes dilute flavicantes, tarsi

gracilibus subfuscis, anticis duplicem tibiarum longitudinem attingentibus, primo posticorum articulo reliquis quatuor simul sumtis paulo longiore; tibiae intermediae infra setis destitutae, posticae apicem versus permodice crassiores. Alae maculâ centrali saturate fuscâ pictae. — (Middle States; Osten-Sacken.)

46. *Mycetophila inculta*, nov. sp. ♀. — *Fusca, nitens, humeris segmentorumque abdominalium singulorum marginibus posticis pallidis, pube in thoracis dorso brevissimâ, alis maculâ centrali fuscâ pictis, tibiis intermediis infra setas binas gerentibus, primo tarsorum posticorum articulo tribus sequentibus simul sumtis subaequali.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput badium, facie et partibus oris luteis; antennae ex luteo subfuscae, scapo et imâ flagelli basi luteis. Thoracis dorsum badium, nitens, pube lutescente brevissimâ et appressâ vestitum, prope marginem posticum setis nonnullis nigris instructum. Plenrae fuscae. Scutellum ex badio fuscum, nigro-setosum, puncto medio luteo notatum. Abdomen fuscum vel nigro-fuscum, segmentis singulis praeter primum postice limbo pallide luteo, utrinque in triangulum dilatato marginatis. Lamellae anales majusculae, basim versus subfuscae, adversus apicem ochraceae. Coxae et pedes pallide lutescentes vel flavicantes, femorum posticorum apice nigro-fusco, tarsis subfuscis pro portione tenuibus, primo posticorum articulo articulis tribus sequentibus subaequali; tibiae intermediae infra setis binis armatae; tibiae posticae apicem versus modice crassiores. Alarum venae luteae, macula centralis mediocris et saturate fusca, margo apicalis cum marginis postici dimidio apicali tenuiter et obsolete cinerascens. — (Middle States; Osten-Sacken.)

47. *Mycetophila pinguis*, nov. sp. ♀. — *Robusta, ochracea, nitens, vittis thoracis confluentibus, scutelli angulis abdominisque segmentis praeter margines fusco-nigris; alae maculis duabus fuscis ornatae, alterâ centrali, alterâ subapicali latissimâ, ex cellulae marginalis apice in cellulam posteriorem primam demissâ; tarsi antici subincrassati, tibiae intermediae infra setis ternis instructae, tibiae posticae adversus apicem valde incrassatae.* — Long. corp. 2 lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Robusta, ochracea, nitens. Color frontis in badium vergens; antennae praeter scapum et praeter imam flagelli basim subfuscae. Thoracis dorsum vittis tribus nigris inter se confluentibus pictum, intermediâ postice abbreviatâ, lateralibus antice valde abbreviatis et

lato intervallo a margine laterali dorsi separatis; pubes dorsi brevissima lutescens, in vittis nigris maximâ ex parte nigricans; setae in marginibus lateralibus et in postico nigrae. Scutellum praeter angulos nigros ochraceum, setis nigris instructum. Pleurarum dimidium anterius ex ochraceo badium, dimidium posterius et metanotum fusca. Abdominis segmentum primum totum nigro-fuscum; segmentorum reliquorum margines anticus et posticus minus late, laterales latissime ochracei; eodem colore apex abdominis et venter tincti sunt. Pedes cum coxis ex ochraceo lutei, validi, femorum posticorum latissimorum apice nigro; tibiae intermediae infra setis ternis armatae; tibiae posticae apicem versus admodum incrassatae; tarsi antichi fusco nigri, distincte sed modice incrassati; tarsi posteriores validiusculi, adversus apicem fusci; primus tarsorum posticorum articulus articulis tribus sequentibus subaequalis. Alae colore saturate fusco-bimaculatae; macula centralis mediocris; macula subapicalis lata, ex cellulae marginalis apice in cellulam posteriorem primam subnormaliter demissa usque ad posticum hujus marginem non pertinet, sed umbram obsoletissime cinerascens longius emittit; venae alarum fuscae, adversus basim luteae; cellulae marginalis apex ab extremo alae apice latius remotus, quam in *Mycetophilis* plerisque. — (English River, Kennicott; Maieue.)

48. *Mycetophila scalaris*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Lutescens*, vittis thoracis confluentibus, scutelli angulis, segmenti abdominalis primi margine postico, segmentorum trium sequentium maculis binis permagnis (interdum confluentibus) segmentisque quinto et sexto praeter margines posticos totis nigro-fuscis; alae maculâ centrali fuscâ et maculâ subapicali subfuscâ ornatae, hac dilutâ, angustâ et ex cellulae marginalis apice oblique in cellulam posteriorem primam ductâ; tarsi antichi foeminae non incrassati; tibiae intermediae infra setis ternis instructae; tibiae posticae adversus apicem mediocriter incrassatae. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{7}{12}$ lin., long. al. $1\frac{7}{12}$ — $1\frac{2}{3}$ lin.

Caput luteum; antennae subfuscae, scapo et flagelli basi dilute lutescentibus. Thoracis dorsum ex ochraceo luteum, modice nitens, vittis tribus fuscis, rarius fusco-nigris, inter se confluentibus pictum; fascia intermedia postice semper, antice haud raro abbreviata; fasciae laterales antice late abbreviatae et ab lateribus dorsi remotae; pubes dorsi vix mediocris, lutescens; setae paucae nigrae. Scutellum luteum, angulis lateralibus setisque marginalibus nigris. Pleu-

rarum dimidium antèrius ex ochraceo luteum, dimidium posterius et metanotum fusca. Segmentum abdominale primum luteum, margine postico nigro-fusco, nonnumquam in maculas duas divisio; segmenta tria sequentia lutca, singula utrinque maculâ permagnâ nigro-fuscâ notata, ita ut pictura scalaris appareat; segmenta quintum et sextum nigro-fusca, margine postico illius angustius, hujus latius luteis; apex abdominis et venter lutei. Pedes cum coxis pallide flavicantes, validi, femorum posticorum apice nigro, tarsis apicem versus subfuscis; femora postica valde dilatata; tibiae intermediae infra setis ternis praeditae; tibiae posticae validae, apicem versus mediocriter incrassatae; tarsi postici breviusculi et validiusculi, articulo primo articulis reliquis simul sumtis aequali. Alae fusco-bimaculatae; macula centralis vix mediocris; macula subapicalis dilutior, angusta, inde ab extremo cellulae marginalis apice oblique in cellulam posteriorem primam ducta, cujus marginem posticum non attingit; infra hanc maculam venae longitudinales colore cinerascens obsoletissime adumbrantur; venae alarum subfuscae, adversus basim lutescentes, in speciminibus dilutius pictis fere totae sordide lutescentes. — (Middle States.)

Nota. In speciminibus nonnullis vittas thoracis incompletas et subobsoletas pleurarumque dimidium posterius et metanotum dilute subfusca video.

49. *Mycetophila trichonota*, nov. sp. ♂. — *Nigro-fusca, subopaca, humeris, scutello praeter angulos segmentorumque abdominalium singulorum margine postico pallidis, thoracis dorso dilute lutescente, pube quam in speciebus plerisque longiore setulisque nigris vestito; alae maculis duabus fuscis ornatae, alterâ centrali, alterâ subapicali ex cellulae marginalis apice arcuatim in cellulam posteriorem primam ductâ; tibiae intermediae infra setis binis instructae.* — Long. corp. $1\frac{5}{12}$ lin., long. al. $1\frac{5}{12}$ lin.

Caput fuscum, opacum, facie tamen et partibus oris dilute luteis; antennae fusco-nigrae, scapo et flagelli basi pallide flavicantibus. Thorax nigro-fuscus, subopacus, humeris, angulis posticis et puncto ante scutellum sito luteis; pubes dorsi longior quam in speciebus plerisque, lutescens, setulis nigris crebro intermixtis. Scutellum luteum, angulis lateralibus nigro-fuscis, setis nigris. Abdomen nigro-fuscum; segmentorum singulorum margines laterales et posticus tenuiter et dilute luteo-limbati, primum tamen segmentum totum nigro-fuscum; extremus abdominis apex cum hypopygio parvo et venter dilute lutei. Pedes cum coxis pallide flavescens, femo-

rum posticorum apice nigro; tibiae intermediae infra setas binas gentes; tibiae posticae validae, apicem versus mediocriter incrassatae; tarsi antici nigro-fusci, posteriores apicem versus subfusci; primus tarsorum posticorum articulus reliquis quatuor simul sumtis aequalis. Alae fusco-bimaculatae; macula centralis majuscula; macula subapicalis dilutior, subangusta, ex cellulae marginalis apice oblique in cellulam posteriorem primam decurrit, sed marginem posticum hujus non attingit; infra maculam subapicalem venae longitudinales nubecula cinerascens obsolete adumbrantur; venae alarum fuscae, adversus basim et in postico alarum dimidio sordide lutescentes. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

50. *Mycetophila fallax*, nov. sp. ♂. — *Nigro-fusca, subopaca, humeris, scutello praeter angulos segmentorumque abdominum singulorum margine apicali pallidis, thoracis dorso pube longiusculâ dilute lutescente setulisque nigris vestito; alae maculis duabus fuscis ornatae, alterâ centrali, alterâ subapicali ex cellulae marginalis apice arcuatim per cellulam posteriorem primam ductâ; tibiae intermediae infra setis ternis instructae.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Simillima *Mycetoph. trichonotae*, sed vena longitudinalis alarum prima longior et cellulae marginalis apex ab extremo alae apice minus remotus; alarum macula centralis major, subapicalis latior, saturatior et usque ad marginem posticum cellulae posterioris primae pertinens, ita ut semifasciae similis sit; tibiaram intermediarum setae inferae non binae, sed ternae. — (Middle States; Osten-Sacken.)

51. *Mycetophila sigmoides*, nov. sp. ♂. — *Dilute, lutescens, thorace abdomineque fusco-variis, femoribus omnibus infra maculâ subfusca notatis, tibiaram calcaribus praeter apicem nigrum exalbidis; in alis praeter maculam centrulem fuscâ series macularum trium fuscarum literam S refert, quarum prima reliquis multo major ex apice cellulae marginalis per cellulam posteriorem primam ducitur.* — Long. corp. 2 lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Dilute lutescens, modice nitens. Caput concolor, frontis colore in subfuscum vergente; antennae nigro-fuscae, scapo et imâ flagelli basi dilute lutescentibus. Thoracis dorsum fusco-trivittatum; fascia intermedia postice abbreviata; fasciae laterales ab dorsi margine laterali remotae et antice valde abbreviatae; pubes thoracis brevis, lutescens, setae paucae nigrae. Scutellum dilute luteum, angulis

lateralibus fuscis, setis marginalibus nigris. Pleurae fusco-maculatae; metanotum totum fuscum. Abdomen pallide lutescens, in specimine descripto corrugatum, ita ut de picturâ fuscâ certum dicere nequeam; segmentum quintum praeter marginem posticum colore nigro-fusco pictum est, segmentum sextum adversus basim infuscatum; extremus abdominis apex cum hypopygio parvo et venter dilute lutescent. Pedes cum coxis pallide flavescens; femora omnia prope basim infra maculâ oblongâ subfuscâ vel nigricante notata; femorum posticorum apex niger; tibiae posteriores minus validae, apicem versus paulo incrassatae, in apice extremo colore nigro tinctae; tibiae intermediae infra setis binis longioribus armatae, setâ tertiâ brevior ante has saepe adjectâ; tibiarum calcaria exalbida vel pallide lutescentes, apice singulorum abrupte nigro; tarsi tenues, subfusci, primo posticorum articulo articulis tribus sequentibus simul sumtis aequali. Alae praeter maculam centralem fuscâ serie trium macularum fuscâ, in formam literae S positâ ornantur; macula prima, reliquis duabus multo major et semifasciae hamatae similis, ex cellulae marginalis apice per cellulam posteriorem primam ducitur, cujus marginem posticum paulo transgreditur; maculae secunda et tertia perparvae, singulae venis longitudinalibus sequentibus impositae sunt; venae alarum luteae. — (Middle States.)

52. *Mycetophila quatuornotata*, nov. sp. ♀. — *Lutescens, thoracis vittis, scutelli angulis abdomineque praeter segmentorum singulorum margines posticos nigro-fuscis; alae maculâ centrali fuscâ et semifasciâ hamatâ subapicali ornatae, praeterea maculis duabus subfuscis notantur, alterâ transversâ in cellulâ posteriore tertiâ sitâ, alterâ rotundatâ, majore et obsoletiore in postico alae angulo; tibiae intermediae infra setâ unicâ instructae.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{6}$ lin.

Validiuscula, lutescens, subopaca. Caput sordide luteum, colore frontis magis fusco; antennae nigro-fuscae, scapo tamen et flagelli basi luteis. Vittae dorsales thoracis tres nigro-fuscae; vitta intermedia antice valde dilatata, postice attenuata et abbreviata; vittae laterales antice valde abbreviatae et usque ad marginem dorsi dilatatae. Pubes dorsi lutescens, setae nigrae. Pleurae cum metanoto nigro-fuscae. Scutellum luteum, angulis lateralibus nigro-fuscis, setis marginalibus nigris. Abdomen nigro-fuscum, modice nitens, segmento ultimo praeter basim, segmentorum reliquorum marginibus posticis, segmenti secundi vittâ mediâ segmentorumque ter-

tii et quarti imâ basi luteis; lamellae anales ochraceae, adversus basim obsolete subfuscae. Pedes cum coxis pallide flavicantes; apice femorum posticorum nigro; tibiae intermediae infra setâ unicâ instructae; tibiae posticae pro portione tenues, apicem versus paulo crassiores; tarsi subfusci, graciles, primo posticorum articulo quam articuli tres sequentes simul sumti breviores. Macula centralis alarum majuscula, saturate fusca; macula subapicalis fusca, hamata, ex cellulae marginalis apice per cellulam posteriorem primam ducta, cum maculâ transversali dilutior, in cellulâ posteriore tertiâ sitâ speciem fasciae in cellulâ posteriore secundâ late interruptae et postice modice abbreviatae praebet; praeterea macula majuscula rotundata, dilute cinereo-fusca infra maculam centralem et prope marginem posticum alae sita conspicitur. — (Maryland.)

53. *Mycetophila polita*, nov. sp. ♂. — *Atra, nitens, humeris segmentorumque abdominalium duorum ultimorum fasciis luteis; alae praeter maculam centralem fuscam semifasciâ latiusculâ fuscâ, inde a cellulae costalis apice demissâ ornantur; tibiae intermediae infra setis ternis instructae.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ lin.

Atra, nitida. Caput concolor, facie tamen et partibus oris luteis; antennae fusco-nigrae, scapo et imâ flagelli basi dilute lutescentibus. Humeri angulorumque thoracis posticorumque apex extremus lutei. Segmentum abdominale quintum fasciâ basali luteâ, in medio abdomine dilatatâ pictum; in segmento sexto praeter fasciam basalem vitta media lutea est; extremus abdominis apex cum hypopygio minuto dilute luteus. Pedes cum coxis pallide flavescents, femorum posticorum margine supero et apice nigris; tibiae intermediae infra setis ternis instructae; tibiae posticae apicem versus paulo crassiores. Alae fusco-bimaculatae; macula centralis parva; macula altera inter hanc et alae apicem intermedia, latiuscula, semifasciae similis, non ex cellulae marginalis sed ex costalis apice usque ad marginem posticum cellulae posterioris primae demissa, modice obliqua; infra hanc maculam et infra cellulae marginalis finem venae longitudinales singulae colore cinereo subobsolete adumbrantur. — (New-York; Osten-Sacken.)

54. *Mycetophila monochaeta*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Obscura, opaca; in alis cinereis praeter maculam centralem fuscam macula magna subfusca, in venâ longitudinali tertiâ sita conspicitur, quae cum fuscidine dilutior confluit, quâ cellulae costalis apex et cellu-*

lae marginalis dimidium apicale tinguntur; tibiae intermediae infra setâ unicâ instructae. — Long. corp. $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.

Fusco-nigra. Caput concolor, opacum, partibus oris subfuscis; antennarum flagellum fusco-nigrum, imâ basi articuli primi saepe lutescente; scapi articuli plerumque praeter apicem, rarius toti lutei. Thoracis dorsum opacum, latera versus albido-pollinosum humerisque plerumque testaceis. Lamellae anales foeminae et hypopygium parvum maris lutea. Pedes cum coxis pallide flavescences, femoribus posticis minus dilatatis, tibiis tarsisque tenuioribus quam in *Mycetophilis* plerisque, tibiis intermediis infra setâ unicâ instructis et primo tarsorum posticorum articulo articulis reliquis simul sumtis aequali. Alae cinereae, fusco-bimaculatae; macula centralis medioeris; macula subapicalis major et dilutior, inter maculam centram et alae apicem intermedia, in venâ longitudinali tertiâ sita est et cum fuscédine obsoletiore confluit, quâ apex cellulae costalis et cellulae marginalis dimidium apicale tinguntur; venae alarum fuscae. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

55. *Mycetophila procera*, nov. sp. ♂. — *Reliquis speciebus major et ab omnibus cellulae posterioris quartae figurâ, quae Dynatosomae est, diversa; alae praeter maculam centram fuscâ serie macularum fuscarum irregulari, inde a cellulae marginalis apice usque in angulum posticum pertinente pinguntur et in marginis postici triente apicali colore subfusco adumbrantur.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput ex ferrugineo sordide luteum; antennae fusco-nigrae, scapo et flagelli basi luteis. Thorax luteus, vittis tribus dorsalibus, scutelli angulis, pleurarum maculis et melanoto toto nigro-fuscis; dorsum pube brevi lutescente pilisque longioribus nigris vestitum; setae ordinariae thoracis et scutelli nigrae. Abdomen fusco-nigrum, segmentorum singulorum margine postico angustius, marginibus lateralibus latius luteis segmentisque secundo et tertio praeterea vittâ latiusculâ luteâ variegatis. Pedes cum coxis lutescentes, tenuiores, femorum posticorum apice nigro; tibiae intermediae infra setis quaternis vel quinis armatae; tarsi longi, tenues, primo posticorum articulo articulis reliquis simul sumtis vix longiore. Alae praeter maculam centram fuscâ serie inconcinna macularum fuscarum, inde a cellula marginalis apice usque in angulum posticum pertinente pictae et in marginis postici triente apicali colore subfusco limbatae; venae alarum validae; cellula posterior quarta apicem versus latior quam in *Mycetophilis* esse solet. — (New-York; Osten-Sacken.)

Nota. Hanc speciem, quamquam cellulam alarum posteriorem quartam *Dynatosomae* gerit, propter venam auxiliarem abbreviatam inter *Mycetophilas* numerari.

56. *Sciara sciophila*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Nigra, palpis halterumque capitulo concoloribus, thorace nitido, humeris sordide luteis; pedes pallide lutescentes, trochanteribus tarsisque nigro-fuscis; alae nigricantes, semihyalinae, venae longitudinalis primae segmentis subaequalibus, cellulae posterioris secundae basi infra apicem cellulae costalis sita, cellula posteriore quarta non pedunculata.* — Long. corp. ♂ $1\frac{2}{3}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

Nigra. Caput concolor, subopacum, dimidio superiore faciei palpisque in speciminibus immaturis fuscis, in maturis nigris; antennae fusco-nigrae, secundo scapi articulo plerumque primoque flagelli articulo interdum lutescentibus. Thoracis dorsum modice nitens, nudiusculum, nigerrimum, humeris sordide luteis. Scutellum et metanotum cum thoracis dorso concolora. Pleurae fusco-nigrae. Abdomen maris nigrum, subopacum, nigro-pilosum, hypopygio magno concolore instructum; abdomen foeminae fusco-nigrum, opacum, nigro-pilosulum, lamellis terminalibus subrotundatis nigris. Coxae et pedes dilute lutescentes, femoribus adversus apicem levissime, tibiis in extremo apice distinctius infuscalis, trochanteribus tarsisque nigro-fuscis. Halteres nigri, basi tamen pedunculi lutei. Alae nigricantes, semipellucidae, venis validioribus nigro-fuscis, tenuioribus subfuscis; segmenta venae longitudinalis primae subaequalia; cellulae posterioris secundae pedunculus cellulae ipsi aequalis, prope a basi cellulae posterioris tertiae oritur; cellulae posterioris quartae pedunculus plane nullus; apex cellulae marginalis ab extremo alae apice intervallo aequali vel paulo minore distat, quam cellulae posterioris tertiae apex. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

57. *Sciara ochrolabis*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Rufescens, capite praeter faciem, thoracis vittis halterumque capitulo nigris, abdomine fusco, hypopygio maris dilute lutescente; pedes lutescentes, trochanterum apice tarsisque praeter basim nigro-fuscis. Alae subhyalinae, colore ex cinereo subfusco leviter tinctae, venae longitudinalis primae segmentis subaequalibus, cellulae posterioris secundae basi infra apicem cellulae costalis aut paulo propius ad alae apicem sita.* — Long. corp. ♂ $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ —2 lin., long. al. $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput nigrum, facie vel fuscâ vel rufescente; palpi fusi; scapus

antennarum dilute lutescens, flagellum fusco-nigrum, basi tamen plerumque lutescente. Thoracis dorsum, scutellum et metanotum rufescentia, pleurae luteae; vittae dorsales thoracis tres fusco-nigrae, media postice et laterales utrinque abbreviatae, omnes saepe dilutiores et imperfectae, laterales interdum plane obsoletae. Abdomen fuscum, opacum. Hypopygium maris majusculum, dilute lutescens vel exalbidum, articulorum terminalium lateribus adversis atris. Lamellae anales foeminae subrotundatae, fusco-nigrae. Coxae et pedes pallide lutescentes, trochanterum apice nigro, tarsis praeter basim lutescentem nigro-fuscis. Halterum pedunculus pallidus, capitulum nigrum. Alae subhyalinae, colore ex cinereo subfusco leviter tinctae, venis validioribus fuscis, tenuioribus subfuscis; segmenta venae longitudinalis primae subaequalia; cellulae posterioris secundae pedunculus tenuissimus, cellulae ipsi subaequalis, vix propius ad cellulae posterioris quartae quam ad cellulae marginalis basim oritur; pedunculus cellulae posterioris quartae vix ullus; cellulae marginalis apex et apex cellulae posterioris tertiae ab extremo alae apice intervallo subaequali separantur. — (New-York; Edwards.)

58. *Trichosia hebes*, nov. sp. ♀. — *Nigra, capite halterumque capitulo concoloribus; alae nigricantes, semihyalinae, segmentis venae longitudinalis primae aequalibus vel ultimo paenultimo paulo superante, venâ longitudinali tertiâ apicem versus non incurvâ.* — Long. corp. $1\frac{5}{12}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ lin.

Nigra. Caput concolor, facie, palpis antennisque fusco-nigris, basi harum dilute fuscâ vel sordide lutescente. Thoracis dorsum modice nitens, humeris luteis. Scutellum et metanotum concolora; pleurae fusco-nigrae. Abdomen nigrum vel fusco-nigrum, nigro-pilosulum, lamellis analibus rotundato-ovatis, concoloribus. Pedes ex luteo subfusci, tibiis posticis fuscis, tarsis fusco-nigris. Halterum pedunculus pallidus, capitulum nigrum. Alae nigricantes, semipellucidae, venis validioribus nigro-fuscis, tenuioribus subfuscis, cellulae posterioris primae dimidio apicali, cellulâ posteriore secundâ totâ et cellulâ posteriore tertiâ adversus apicem pilis longioribus aspersis; segmenta venae longitudinalis primae aequalia, vel ultimum paenultimo paulo longius; vena longitudinalis tertia recta, apicem versus non incurva; basis cellulae posterioris secundae infra apicem cellulae costalis sita; cellulae posterioris quartae pedunculus perbrevis. — (New-York; Edwards.)

59. *Dilophus breviceps*, nov. sp. ♀. — *Rufo-testaceus*, capite abdomineque nigris, femoribus luteis, tibiis fuscis, tarsis nigris; alae subhyalinae, leviter ex luteo cinerascutes, stigmate majusculo subfusco. — Long. corp. $1\frac{2}{3}$ —2 lin., long. al. $1\frac{3}{4}$ —2 lin.

Caput breve, nigrum. Color thoracis rufo-testaceus, pleurarum in luteum vergens, metanoti interdum subfuscus. Abdomen nigro-fuscum, ventre fere toto sordide lutescente. Femora lutea; tibiae fuscae, in speciminibus minus maturis dilutius tinctae. spinis anticarum acutis; tarsi tenues, toti nigri, anteriorum basi interdum testacea. Halteres nigri. Alae subhyalinae, levissime ex cinereo lutescentes; praeter costae dimidium apicale venae costae proximae fuscae, reliquae dilute lutescentes; stigma majusculum, subfuscum. — (New-Hampshire.)

60. *Dilophus obesulus*, nov. sp. ♀. — *Niger, nitidus*. humeris rufis, coxis femoribusque luteis, tibiis tarsisque nigris; alae hyalinae, subalbicantes, stigmate nigro. — Long. corp. $1\frac{2}{3}$ lin., long. al. $2\frac{1}{6}$ lin.

Robustus, niger, nitidissimus. Caput concolor, subopacum, breviusculum, sed quam caput speciei praecedentis paulo longius. Humeri rufi et pleurae obsolete rufo-maculatae. Venter totus niger. Coxae luteae, trochanteribus tamen fuscis vel fusco-nigris; femora lutea; tibiae fusco-nigrae, anticae in speciminibus immaturis prope basin et ante apicem badiae; tarsi tenues, toti nigri. Halteres nigri. Alae hyalinae, obsolete albicantes; costa in dimidio apicali et venae costae proximae ex cinereo subfuscae, in speciminibus immaturis saepe pallidissimae, venae reliquae sine colore; stigma majusculum, nigrum. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

61. *Dilophus tibialis*, nov. sp. ♀. — *Niger, nitidus*, coxis anticis et femoribus ex luteo rufis, tibiis tarsisque nigris, illis quam in speciebus similibus validioribus; alae cinereae, stigmate fusco. — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ — $2\frac{1}{3}$ lin., long. al. $2\frac{1}{3}$ — $2\frac{1}{2}$ lin.

Niger, nitidus. Caput concolor, non elongatum. Humeri puncto rufo vel badio obsolete notati. Coxae anticae luteo-rufae, trochanteribus nigris, posteriores cum trochanteribus nigrae; femora luteo-rufa, apice omnium posteriorumque basi nigris vel nigro-fuscis; tibiae nigrae, validiores quam in speciebus praecedentibus, posteriores basin versus minus attenuatae; tarsi tenues, nigri. Alae colore ex cinereo in dilutissime subfuscum vergente leviter tinctae, costâ venisque costae proximis fuscis vel nigro-fuscis, reliquis dilutissime subfuscis, stigmate fusco. — (Sitka.)

62. *Xylophagus longicornis*, nov. sp. ♀. — *Niger*, pedibus concoloribus, alis nigro-variegatis, a *Xylophago lugenti*, cui simillimus, primo antennarum articulo multo longiore distinctus. — Long. corp. 5 lin., long. al. $3\frac{1}{2}$ lin.

Totus niger. Vertex et frontis dimidium inferius nitida, dimidium superius hujus polline cinereo opacum. Antennae nigrae, articulo primo quam in *Xylophago lugenti* et in congeneribus reliquis multo longiore. Palpi atrii, proboscis fusco-nigra. Thoracis dorsum polline subfusco bivittatum. Pedes nigri, extremo coarum apice genibusque sordide lutescentibus. Alae cinerae, venis et stigmate nigris, dimidii apicalis margine venisque omnibus nigro-limbatis, colore nigro in ipso alarum apice et inter stigma et cellulae costalis basim late diffuso. — (Massachusetts.)

63. *Xylophagus rufipes*, nov. sp. ♀. — *Ater*, nitidus, vertice thoracisque dorso opacis, pedibus rufis, alis nigro-maculatis — Long. corp. $6\frac{1}{2}$ lin., long. al. $4\frac{3}{4}$ lin.

Totus ater. Caput concolor, nitidum, fronte prope ocellos et facie polline subfusco opacis. Antennae nigrae, articulo tertio articulis primis duobus simul sumtis subaequali. Palpi atrii. Thoracis dorsum polline dilute subfusco aspersum, in speciminibus illacis, nisi fallor, trivittatum, vittâ intermediâ latissimâ et lineâ obscuriore dissectâ; vittarum interstitia praeter humeros opaca. Scutellum modice nitens; pleurae, metanotum et abdomen laetius nitentes. Coxae luteo-rufae; pedes rufi; tibiaram posticarum apex late nigro-fuscus, colore fusco trientem apicalem tibiaram modice excedente; duo ultimi tarsorum anticorum articuli, tarsi intermedii inde ab articuli tertii et postici inde ab articuli primi apice nigro fusi. Halteres lutei, pedunculo magis fusco. Alae subhyalinae, ex cinereo sublutescentes, venis praeter basim et stigmate fusco-nigris; inde a stigmate fascia inconcinna fusco-nigra per cellulae basalis primae apicem et per cellulae discoidalis basim usque in imam cellulae posterioris quartae basim demittitur, vena transversalis posterior colore fusco-nigro marginatur et apex alae colore dilutius nigricante adumbratur. — (Massachusetts; Sanborn.)

Nota. *Xylophagus rufipes* a *Xylophago atro*, cui simillimus, primo antennarum articulo longiore et vittarum dorsalium interstitiis opacis fascile distinguitur.

64. *Xylophagus abdominalis*, nov. sp. ♀. — *Niger*, abdominis segmentis secundo, tertio et quarto praeter margines late-

rales, quinto praeter margines laterales et posticum rufis: pedes rufi; alae nigro-variegatae. — Long. corp. $6\frac{1}{2}$ lin., long. al. $4\frac{1}{2}$ lin.

Niger, abdomine praeter basim et apicem rufo. Frons polline cinereo opaca, triente antico convexo, laevigato, nitido. Facies aterrima, opaca, superne maculis duabus candido-pollinosis ornata. Antennae nigrae, articulo primo brevi et crassiusculo; palpi atrii; proboscis lutea. Thoracis dorsum praeter margines laterales opacum et polline lutescenti-cinereo, in vittarum interstitiis confertiore pilisque brevibus, dilute lutescentibus aspersum. Scutellum et metanotum concolora. Pleurae leviter albo-pollinosae, nitidae. Abdominis segmenta secundum, tertium, quartum et quintum ex aurantiaco rufa, marginibus lateralibus omnium et margine postico quinti nigris, reliquorum incisuris fuscis; reliquum abdomen nigrum et nitidum. Pictura ventris simillima, segmento tamen quinto fere toto nigro. Pedes rufi, tibiarum basi non infuscatâ, duobus ultimis tarsorum anteriorum articulis nigro-fuscis; tarsi posteriores in specimine descripto desunt. Halteres flavi. Alae subcinereae, apice et margine postico latissime cinereo-limbatis; venae fusco-nigrae; inde a stigmate fusco-nigro fascia lata fusco-nigra usque in imam cellulae posterioris quartae basim dimittitur; vena transversa posterior colore nigro-fusco latius et venarum longitudinalium segmenta ultima eodem colore angustius marginata sunt. — (Texas.)

Nota. *Xylophagus abdominalis* similis et affinis est *Xylophago cincto*, sed primus antennarum articulus brevior, faciei maculae candidae majores, thoracis dorsum magis pollinosum, tibiae adversus basim non infuscae, cellulae posteriores alarum breviores et ultima venarum longitudinalium segmenta distinctius colore nigro fusco limbata differentiam demonstrant.

65. *Ptiolina fasciata*, nov. sp. ♂. — *Cinereu, pallide pilosa, thoracis dorso nigro-vittato, abdomine nigro-fasciato.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{7}{8}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Cinerea, opaca, pilis mediocribus et pube totius corporis exalbidis, vel dilutissime lutescentibus. Antennae nigrae, articulis duobus primis subnudis. Facies nuda. Palpi nigri, breviter albido-pilosi. Thoracis vittae dorsales nigrae opacae; vitta media, adversus anticum thoracis marginem cinerascens et postice abbreviata, lineâ mediâ non divisa; vittae laterales, utrinque abbreviatae et suturâ cinereâ dissectae, postice maculâ nigrâ prope alae basim adjectâ geminatae. Scutelli cinerei margo niger. Abdominis segmentum primum, praeter marginem posticum, nigrum; segmenta reliqua

singula fasciâ basali nigrâ in medio abdomine dilatâtâ, latera versus valde attenuatâ ornantur. Pedes quam in speciebus plerisque breviores et validiores; femorum apex extremus luteolus; color in tibiârum basi luteus adversus apicem per fuscum in nigrum abit. Pili femorum breviusculi, tibiârum pubes brevissima. Halterum capitulum nigrum, pedunculus fuscus. Alae cinereae, basim versus sublutescentes, stigmate subfusco, cellulis submarginali secundâ longâ, discoidali parvâ, posteriore secundâ petiolatâ. — (Hudsons-Bay Territory; Kennicott.)

66. *Ptiolina majuscula*, nov. sp. ♂. — *Nigro-cinerea, thoracis dorso et scutello nigro-pilosis, alis cinereis, stigmate et venis nigris, cellulâ discoidali apertâ*. — Long. corp. $2\frac{5}{6}$ — 3 lin., long. al. $2\frac{7}{12}$ — $2\frac{2}{3}$ lin.

Nigro-cinerea, opaca. Antennae nigrae, articulis duobus primis breviter nigro-pilosis, stylo apicali adversus apicem attenuato. Facies nuda. Palpi magni, nigri, articulo primo et basi secundi albido-pilosis, reliquâ articuli secundi parte nigro-pilosâ. Mentum et occipitis dimidium inferius albido-pilosa, superior hujus margo et vertex nigro-pilosi. Thoracis dorsum nigro-vittatum; vitta media latiuscula, lineâ tenui cinerascete divisa, antice modice attenuata, postice valde abbreviata; vittae laterales, utrinque abbreviatae et suturâ cinereâ dissectae, postice maculâ nigrâ prope alae basim adjectâ geminantur. Abdomen breviter nigro-pilosum, segmentum tamen primum segmentorumque sequentium latera pilis longis exalbidis instructa. Pedes breviusculi, validi, nigri, genibus dilute lutescentibus, tibiis anterioribus ex luteo subfuscis, apicem versus nigris; femora pilis brevibus plerisque nigris, infra longioribus, prope basim exalbidis, prope apicem nigris vestita; tibiârum tarsorumque pubes brevissima nigra. Halterum capitulum nigrum, pedunculus fuscus. Alae cinereae, venis nigris colore ex cinereo in nigricantem vergente obsolete limbatis, stigmate cellularumque basaliû primae et secundae apice fusco-nigris, cellulis submarginali secundâ pedunculo aequali, discoidali et posteriore tertiâ in unam confluentibus, venâ transversâ posteriore, praeter initium breve e venae intercalaris basi excurrens, omnino nullâ. — (Hudsons-Bay Territory; Kennicott.)

67. *Oncodes costatus*, nov. sp. ♂. — *Niger, segmentis abdominalibus singulis postice albo-marginatis, costâ et venis alarum fuscis, dimidio apicali costae incrassato*. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{5}{12}$ lin.

Nitidus, ex piceo niger, stigmatē prothoracis piceo-marginato, scutello praeter basim pedibusque piceis, tarsis tamen apicem versus nigris, pulvillis et empodio concoloribus. Abdominis segmenta singula postice fasciâ albâ, tenui et aequali ornantur. Segmentum ventrale primum nigrum, postice albo-fasciatum; segmenta reliqua alba, singulorum fasciâ basali nigrâ, angustâ quidem sed latera versus satis dilatâtâ. Tegulae sordidissime exalbidae, fusco-marginatae. Alae subhyalinae adversus basim coloris subfusci vestigium ostendunt; costa et venae saturate fuscae; dimidium apicale illius incrassatum; venae transversalis dimidium posterius obsoletum. — (Massachusetts; Sanborn.)

68. *Opsebius sulphuripes*, nov. sp. ♀. — *Nigerrimus*, nitidus, halteribus pedibusque exalbidis vel dilutissime flavicantibus, alis nigro-fuscis, cellulâ posteriore primâ per venam transversam divisâ, cellulâ anali apertâ. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{7}{12}$ lin.

Nigerrimus, nitidus. Oculi confertim nigro-pilosi, pilis tamen in inferâ oculorum parte dilutius quam in parte superâ tinctis. Antennae luteae. Stigmata prothoracis badio-marginata. Thoracis dorsum, scutellum et abdomen albido-pilosa. Pedes exalbidi vel dilutissime flavicantes, subtiliter albido-pilosi. Tegulae mediocres, hyalinae. Halteres dilutissime flavicantes. Alae nigro-fuscae, adversus apicem et marginem posticum dilutiores; venae fusco-nigrae; vena transversa minor perpendiculariter demittitur; cellula posterior prima per venam alteram transversam, ut in *Opsebio gagatino*, inter cellulae discoidalis finem et cellulae submarginalis secundae basim dissecatur; cellula posterior tertia, quae in *Opsebio gagatino* quartae basim transgreditur, in specie nostrâ eam non attingit, ita ut cellula posterior tertia brevior sit quam quarta; cellula analis, in *Opsebiis gagatino* et *inflato* longe ab alae margine clausa, in *Opsebio sulphuripede* aperta est. — (Sharon-Springs, New-York. — Osten-Sacken.)

Nota. Ut ab *Opsebio sulphuripede* distinguatur, *Opsebi* *gagatini* diagnosi in calce addendum est: „cellulâ anali clausâ“.

69. *Thereua albiceps*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Cinerea*, albo-pilosa, capite toto niveo, antennis nigris, pedibus subfuscis, femoribus, tibiarum apice tarsisque adversus apicem nigris; alae hyalinae, vennis et stigmatē fuscis, cellulâ posteriore quartâ vel in ipso alae margine clausâ, vel anguste apertâ; segmenta abdominalia foeminae secundum, tertium et quartum late nigro-fasciata, fasciis vittâ albidâ dissectis. — Long. corp. 4 — $4\frac{7}{12}$ lin., long. al. 3 — $3\frac{5}{12}$ lin.

Caput utriusque sexus totum albo-pollinosum et albo-pilosum, setis occipitis nigris, callo frontali foeminae nullo. Antennae mediocres, nigrae; articulus primus tertio subaequalis, albo-pollinosus, praeter setas ordinarias nigras pilis albis instructus; stylus terminalis mediocris, acutus. Proboscis fusca; palpi subfusci, confertim albo-pollinosi et pilis albis vestiti. Thorax nigricans, polline albedo cinerascens. totus albo-pilosus, setis tamen ordinariis nigris; vittae dorsales tres obscurius cinereae. in mare minus distinctae, in foeminâ magis conspicuae, in illo interstitiis obsoletis albicantibus, in hac latioribus et ex albedo lutescentibus separantur. Scutellum concolor. Abdomen maris totum albo-pollinosum et confertim albo-pilosum; abdomen foeminae nigrum, polline conferto albo obtectum, segmentis tamen secundo, tertio et quarto praeter fasciam singulorum posticam, latéra versus usque in angulos anticos dilatata polline conferto albo destitutis, ita ut in his segmentis fasciae latissimae fusco-nigrae, latera versus valde angustatae appareant. quas villa media minus confertim albedo-pollinosa, in segmento secundo plerumque obsoleta, dissecat; ima segmenti quinti basis fusca; margines postici segmentorum quarti, quinti et sexti anguste fusci; segmentum octavum totum atrum et nitidum; pili longiores in foeminae abdomine albi. breves et erecti in posteriore abdominis dimidio nigri. Pedes ex luteo subfusci; femora praeter apicem extremum nigra, polline pilisque albis; tibiae anticae adversus apicem late, posteriores anguste fusco-nigrae; tarsi fusco-nigri, basi anticorum anguste, posteriorum latius subfusca. Halterum pedunculus sordide luteus, capitulum totum fusco-nigrum. Alae hyalinae; venae nigro-fuscae. in alarum basi dilutissime subfuscae; venae auxiliaris tota et costalis usque ad cellulae marginalis finem dilutissime subfuscae; stigma nigro-fuscum; cellula posterior quarta vel in ipso alae margine clausa. vel anguste aperta. — (British America, Scudder; Red River, Kennicott.)

Nota. *Thereua albiceps* a *Thereua candidata* pedibus, alarum venis stigmatumque obscurioribus et halterum capitulo toto fusco-nigro, non albo et infra nigro. facile distinguitur; diversum antennarum colorem certam ambarum differentiam non praebere, specimina *Thereuae candidatae* nuper mihi missa, quorum antennae totae nigrae sunt, demonstrant. Foemina *Thereuae candidatae* alis minus hyalinis, sublutescentibus a mare differt; praeterea frontis dimidium superius polline conferto cinnamomeo obtegitur et abdominis segmenta praeter primum et septimum nigro-fasciata sunt.

70. *Thereua flavicincta*, nov. sp. ♂. — *Nigra*, *antennis concoloribus*, *segmentorum abdominalium marginibus posticis*, *hypopygio pedibusque luteis*, *albido-pilosa*, *pilis tamen frontis plerisque*, *verticis omnibus et non paucis in thoracis disco dorsali nigris*; *halterum capitulum nigrum*; *alae hyalinae*, *stigmatum venarumque transversalium limbis angustis fuscis*, *cellulâ posteriore quartâ clausâ*. — Long. corp. $4\frac{1}{2}$ — $4\frac{2}{3}$ lin., long. al. $4\frac{1}{4}$ — $4\frac{1}{3}$ lin.

Nigra, opaca, albido-pilosa. Pili verticis omnes frontisque pili plerique nigri. Antennae nigrae, mediocres; articulus primus cinerascens, praeter setas ordinarias nigras infra pilis albis vestitus; articulus tertius quam primus paulo longior, in imâ basi plerumque rufus. Facies confertim albo-pilosa; in genis albo-pilosis pili prope oculos nigricant. Thoracis dorsum polline luteo-cinereo levissime aspersum, ita ut vittarum interstitia obsolete cinerascuntia conspiciantur, sed color niger reliqui dorsi in cinerem non mutetur; pilis albidis dorsi pili numerosi nigri admiscentur; pili pleurarum et scutelli omnes albi; setae ordinariae thoracis et scutelli nigrae. Primum abdominis segmentum totum nigrum; segmenta reliqua omnia postice luteo-limbata, ultimarum tamen limbis in medio abdomine interruptis. Venter nigricans, segmentis singulis, primo tamen excepto, postice late luteo-marginatis. Hypopygium luteum, superne fuscum. Pili abdominis omnes albi. Pedes lutei vel ex subfusco-lutei, femoribus albo-pilosis. Halterum pedunculus luteus, capitulum totum fusco-nigrum. Alae hyalinae, venis fuscis, adversus basim dilutissime subfuscis, stigmatum venarumque transversalium limbis angustis fuscis, cellulâ posteriore quartâ ante marginem alae clausâ. — (Northern Wisconsin, Kennicott; White Mountains, Scudder.)

71. *Thereua gilvipes*, nov. sp. ♀. — *Cinerascens*, *antennis nigris*, *callo frontis cordato*, *thoracis vittis nigro-fuscis*, *intermediâ lineam atram includente*, *vittarum interstitiis subochraceis*, *abdomine atro et nitido*, *adversus apicem saturate badio*, *segmentis singulis postice ochraceo-limbatis*, *pedibus luteis*, *alarum venis omnibus fusco-limbatis*. — Long. corp. $5\frac{3}{4}$ lin., long. al. 4 lin.

Callus frontalis ater, nitidus, cordatus, supra attenuatus, usque ad ocellos pertinens. Frons ipsa supra callum polline ex ochraceo fusco, infra callum luteo tecta, praeter callum breviter nigro-pilosa. Occipitis dimidium superius luteo-vel ochraceo-pollinosum, nigro-setosum; reliquae capitis partes confertim albo-pollinosae et praeter pilos nigricantes prope oculorum angulum inferum pilis confertis albis vestitae. Antennae mediocres nigrae; articulus primus cinerascens, tertio vix brevior, praeter setas ordinarias infra pilis aliquot

albis aspersus. Thoracis dorsum opacum, nigro-pilosum, vittis tribus nigro-fuscis pictum, quarum intermedia lineâ longitudinali atrâ dividitur; vittarum interstitia polline subochraceo, dorsi latera polline luteo-cinereo obtecta. Pleurae albido-pollinosae et albo-pilosae. Scutellum subochraceo-pollinosum, maculâ tamen basali fusco-pollinosa. Primum abdominis segmentum albido-cinereum; reliquum abdomen nitidum, atrum, adversus apicem obscure badium, margine postico segmentorum singulorum lacte ochraceo, in segmentis secundo, tertio, quarto et quinto singulis cum fasciâ ochraceo-pollinosâ, latera versus dilatâtâ, confluyente; segmenta tria prima parce albido-pilosa, reliqua pilis erectis nigris hirta. Venter opacus, luteo-cinereus, adversus apicem subbadius, segmentorum marginibus posticis dilute luteis, segmentis tribus primis albido-pilosis, reliquis nigro-pilosis. Pedes lutei, tarsis apicem versus nigro-fuscis; femora praeter pilos nigros pilis albidis aspersa. Halterum pedunculus luteus, capitulum fusco-nigrum. Alae cinerae, venis fuscis, colore nigro-fusco anguste limbatis, adversus basin alarum dilutioribus et non limbatis; stigma nigro-fuscum; cellula posterior quarta ante marginem alae clausa. — (Massachusetts; Sanborn.)

Nota. *Thereum gilvipedem* ut alterum sexum cum *Thereud flavicinctâ* conjungere propter diversam alarum picturam non ausus sum; num merito separatae sint, quibus vivas observandi occasio datur, videant.

72. *Thereum strigipes*, nov. sp. ♀. — *Nigricans*, callo frontali magno, supra levissime attenuato et ad ocellos usque pertinente, thoracis dorso praeter pilos nigros tomento lutescente asperso, abdomine nigro et fere toto nitido, segmentorum marginibus posticis luteis; pedes sordide lutei, femoribus nigris intermediis adversus basin posticisque infra sordide luteis; alae cinerae, venis nigro-fuscis et anguste fusco-limbatis, stigmate nigro-fusco, cellulâ posteriore quartâ in ipso alae margine clausâ. — Long. corp. $4\frac{5}{12}$ lin., long. al. $3\frac{1}{3}$ — $3\frac{5}{12}$ lin.

Nigricans. Callus frontalis ater, nitidus, magnus, supra vix attenuatus, usque ad ocellos pertinens; frons ipsa polline ex ochraceo subfusco obtecta et praeter callum nigro-pilosa; occipitis dimidium superius ochraceo-pollinosum, setis nigris pilisque luteis vestitum; reliquae capitis partes albo-pollinosae et albo-pilosae, pilis tamen prope marginem inferum oculorum fuscis vel nigricantibus. Antennae mediocres, nigrae; articulus primus cinerascens, tertio aequalis, praeter setas ordinarias nigras infra albo-pilosus; ima basis articuli tertii

rufescens. Thoracis dorsum sordide nigrum, opacum, polline nullo aspersum vel polline in specimine mediocriter conservato tantum detricto, pilis nigris et tomento raro lutescente instructum. Scutellum pallide-pilosum. Setae thoracis et scutelli nigrae. Pleurae nigricantes, polline albo dilute cinereae, albo pilosae. Abdomen nigrum, nitidum, adversus basim subopacum, segmentorum marginibus posticis luteis, primi tamen segmenti margine excepto; segmenta tria prima pilis albidis, primum confertioribus, secundum et tertium raris instructa; pili segmentorum reliquorum breves, erecti, nigri. Femora antica nigra, infra sordide testacea; femora intermedia sordide lutea, adversus apicem nigra; femora postica nigra, infra sordide lutea; tibiae sordide luteae, extremo apice nigro-fusco; tarsi nigro-fusci, articulo primo praeter apicem sordide luteo. Colorem pedum, quem sordide luteum appellavi, melius fortasse ex luteo in subfuscum vergentem nomi navissem. Halterum pedunculus luteus, capitulum fusco-nigrum. Alae cinereae, stigmate venisque nigro fuscis, venis transversis latius, longitudinalibus angustius et obsoletius fusco-limbatis, cellulâ posteriore quartâ apertâ. — (English River; Kennicott.)

73. *Psilocephala variegata*, nov. sp. ♂. — *Cinerea, opaca, pilis albidis, in thoracis dorso et adversus abdominis apicem pallide flavescentibus vestita; antennae breves, nigrae, articulo primo incrassato; pedes lutei, femoribus, tibiis apice tarsisque apicem versus nigris; alae sordide albicantes, non pellucidae, stigmate nigro-fusco-venarumque limbis fuscis variegatae.* — Long. corp. $4\frac{3}{4}$ lin., long. al. $3\frac{1}{6}$ lin.

Cinerea, opaca. Caput albo-pollinosum et albo-pilosum, fronte tamen et facie nudis; setae in supero occipitis margine luteae. Antennae nigrae, breves, articulo primo incrassato, praeter setas ordinarias nigras infra pilis nonnullis luteis aspersa. Thoracis dorsum non vittatum, pilis ex albedo dilute flavescentibus vestitum. Scutellum concolor, pilis confertis pallidissime flavescentibus instructum. Setae ordinariae thoracis et scutelli nigrae. Pleurae polline exalbido dilute cinereae, albo-pilosae. Abdomen totum pollinosum et opacum, marginibus posticis segmenti secundi latiore, segmenti tertii angustiore pallide lutescentibus; pollinis color ex albedo in flavido-cinereum vergens, mutato lumine ante segmentorum secundi, tertii et quarti marginem posticum purius albicat. Venter cinereus, marginibus posticis segmentorum secundi et tertii sordide lutescentibus. Pili abdominis exalbidi, adversus abdominis apicem pallidissime flavescentes. Hypopygium mediocre, nigrum, lamellis tamen late luteo

marginatis, pallide pilosum. superne polline dilute cinerascete aspersum. Pedes ex subfusco lutei; femora nigra. albo-pollinosa et pilis albis vestita; tibiaram apex tarsique praeter basim fusco-nigri. Halterum pedunculus sordide lutescens, capitulum infra nigrum, superne fuscum. Alae non pellucidae, sordide albicantes; venae nigro-fuscae; vena costalis usque ad cellulae marginalis finem, vena auxiliaris tota. venae longitudinalis tertiae basis et venae omnes in alarum triente basali dilutiores; stigma fusco-nigrum; venae transversales fusco-limbatae; venarum longitudinalium apices obsoletius colore fusco circumfusi; posticus alarum margo leviter cinerascens; cellula posterior quarta aperta. — (Canada.)

74. *Psilocephala scutellaris*, nov. sp. ♀. — *Nigra, frontis maculâ rhomboidali aterrima et opacâ, scutello fulvo, alis cinereo-trifasciatis.* — Long. corp. $4\frac{7}{12}$ lin., long. al. $2\frac{5}{6}$ — $2\frac{1}{2}$ lin.

Nigra, subnuda, modice nitens. Frontis dimidium superius nitidissimum; in mediâ fronte macula rhomboidalis magna. aterrima et omnino opaca; anterius frontis dimidium et facies brevissima leviter albo-pollinosa. Antennae longiusculae, fusco-nigrae, articulo primo subfusco et breviter nigro-piloso, tertio subaequali, stylo terminali minuto. Palpi fusco-nigri, nigro-pilosi; proboscis concolor. Occipitis dimidium superius setis nigris, inferius pube brevi albicante instructum; genae breviter nigro-pilosulae. Thoracis dorsum subnudum, pilis brevissimis appressis, plerisque lutescentibus parce aspersum et levissime albido-pollinosum, ita ut vittae verius nigrae tres latissimae, interstitiis paulo confertius albo-pollinosi distinctae conspiciantur, quarum intermedia postice admodum abbreviatur. Setae laterales dorsi brevissimae, nigrae; setae ante scutellum nullae. Scutellum ex fulvo rufum, opacum, praeter setas quatuor brevissimas nigras nudum. Abdomen angustum, nigrum, nitens, adversus basim subopacum, margine postico segmenti secundi latius albido, marginibus posticis segmenti primi et tertii angustius et sordide exalbidis. Spinarum corona cum extremo genitalium apice rufa. Primum abdominis segmentum et latera segmenti secundi breviter albo-pubescentia; reliquum abdomen pilis brevissimis nigris, in posteriore abdominis dimidio erectis instructum. Pedes tenues, elongati, subnudi, nigri; extremus femorum apex subfuscus; tibiae anticae modice compressae, superne subfuscae; tibiae intermediae totae subfuscae; tarsi antiqui compresso-dilatati, nigri; tarsi posteriores tenues et simplices, nigri, intermediarum articulo primo praeter apicem, posteriorum articulo primo cum basi articuli secundi colore sordide

subfusco, valde diluto tinctis. Halterum pedunculus luteo-rufus, capitulum nigro-fuscum. Alae breves, hyalinae, levissime cinerascens, cellula costali subfusca fasciisque tribus cinereis, quae, si alae oblique aspiciantur, nigricant; cellula posterior quarta angusta et longe ab alae margine clausa. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

75. *Psilocephala erythrura*, nov. sp. ♂. — *Nigricans*, polline albo, in abdomine confertissimo pilisque albis vestita, scutelli dimidio apicali aterrimo, hypopygio rufo, alis colore nigricante trimaculatis. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Nigricans, albo-pollinosa et pilis albis vestita. Antennae fuscae; facies brevis. Scutelli dimidium apicale aterrimum, holosericeum. Setae ordinariae thoracis et scutelli nigrae. Abdomen polline conferto candidissimo obtectum. Hypopygium ex luteo rufum, pilis lutescentibus hirtum. Femora praeter apicem sublutescentem nigra; tibiae ex subfusco sordide lutescentes, anticae subcompressae et infra nigro-fuscae; tarsi antici modice compressi, nigri; tarsi posteriores ex subfusco sordide et dilute lutescentes, adversus apicem nigro-fusci. Alae hyalinae, leviter cinerascens et colore nigricante trimaculatae; macula prima, reliquis obsoletior et minor in apice cellulae posterioris secundae sita est; macula secunda fasciae postice abbreviatae, a cellulae costalis apice ad normam demissae similis est; macula tertia, apici alae propinqua, maculis duabus, altera in cellularum submarginalium priore, altera in posteriore sita, componitur; cellula posterior quarta ante marginem alae clausa. — (Middle States.)

76. *Geron macropterus*, nov. sp. ♂. — *Opacus*, niger, supra pilis lutescentibus, infra albis vestitus, abdominis lateribus antice dilute lutescentibus, femoribus tibiisque praeter apicem luteis; alae magnae, obscurae cinercae, stigmate fusco, cellula submarginali secunda longa, venâ transversâ posteriore obliquâ et leviter flexâ. — Long. corp. $2\frac{1}{3}$ lin., long. al. $2\frac{3}{4}$ lin.

Niger, opacus, corporis formâ ac figurâ *Geronti calvo* similis. Antennae nigrae, articulis duobus primis brevissime nigro-pilosulis. Pili verticis nigri, occipitis dilute sublutescentes, menti albidi. Thoracis dorsum et scutellum pilis lutescentibus et tomento rarissimo subaureo vestita; dorsi margines laterales et humeri latissime cinerei. Plenae albo-pollinosae et albido-pilosae. Latera segmentorum abdominalium primi, secundi et tertii cum primis ventris segmentis dilute lutea. Pili abdominis longi, lutescentes, in abdominis apice

magnâ ex parte nigri vel nigricantes, in ventre omnes albidî. Coxae fusco-nigrae. Pedes lutei, femorum apice late nigro-fusco, extremo tibiae apice fusco tarsisque praeter anteriorum basim nigro-fuscis. Halterum pedunculus fusco-niger, adversus apicem dilute luteus; capitulum luteum, superne nigro-fuscum. Alae magnae, obscure cinereae, basi paulo dilutiores, venis et stigmate fuscis. Cellula submarginalis secunda longa, ita ut duo ultima venae longitudinalis tertiae segmenta subaequalia sint; vena transversa posterior modice obliqua et levissime tantum flexa. — (Genesee; New-York.)

77. *Geron vitripennis*, nov. sp. ♂. — *Opacus, ater, supra pilis luteis et tomento tenui subaureo vestitus, infra pilos albidos squamulusque candidas gerens, mystace candido, brevibus antennarum pilis nigris; pedes nigri, tibiis anticis adversus basim, posterioribus praeter apicem piceis; alae pure hyalinae, stigmate dilutissime lutescente, cellula submarginali secunda perbrevis et maximopere dilatata.* — Long. corp. $2\frac{1}{3}$ — $2\frac{5}{8}$ lin., long. al. $2\frac{5}{8}$ — $2\frac{1}{2}$ lin.

Aterrimus, opacus. Oculi contigui. Frontis pili breves, lutescentes, prope antennas candidi. Facies albo-pollinosa et candido-pilosa. Antennae nigrae, articulis duobus primis breviter nigro-pilosis; pili verticis nigri, occipitis lutei, menti albidî. Thoracis dorsum et scutellum tota atra et opaca, pilis luteis et tomento rarissimo subaureo vestita. Pleurae albo-pollinosae, pilis albis et tomento candido instructae. Abdomen atrum, opacum, pilis luteis et tomento brevissimo subaureo, lateribus et ventre polline albidio dilute cinereis, pilis albidis et tomento candido praeditis. Pedes nigri, tibiis anticis adversus basim piceis, tibiis posterioribus praeter apicem nigro-fuscum rufo-piceis, posticis tamen plerumque quam intermediae obscurioribus. Halteres flavi. Alae pure hyalinae, stigmate dilutissime sublutescente, cellula submarginali secunda perbrevis et maximopere dilatata, ita ut extremus venae longitudinalis tertiae apex paulo longius ab apice quam a basi rami anterioris absit; vena transversa posterior obliqua et distincte biflexa. — (Middle States.)

Nota. In *Geronte subaurato* describendo (Cent. IV, 55) exemplorum mentionem feci, quorum tibiae picco colore essent. Sed exempla integriora nactus, ea non ad *Gerontem subauratum*, sed ad *Gerontem vitripennem* referenda esse intellexi; ideo *Gerontis subaurati* diagnosis ita corrigatur necesse est, ut sit:

Geron subauratus, ♂ et ♀. — *Opacus, ater, supra, pilis lutescentibus et tomento tenui subaureo vestitus, infra pilos squamulasque candidas gerens, mystace candido, brevibus antennarum*

pilis nigris; pedes toti nigri; alae cinereo-hyalinae, stigmatibus sub-fusco, cellula submarginali secundâ brevi et valde dilatata. — Long. corp. $1\frac{3}{4}$ —2 lin., long. al. $1\frac{3}{4}$ —2 lin.

78. *Geron albidipennis*, nov. sp. ♂. — *Ater, opacus, supra pilis exalbidis, infra albis vestitus; pedes nigri; alae pure hyalinae, leviter albicantes, stigmatibus decolore, venae longitudinalis tertiae segmento paenultimo duplicem ultimi longitudinem aequiparante, venâ transversâ posteriore levissime flexâ. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.*

Ater, opacus. Oculi contigui. Antennae nigrae, articulis duobus primis confertim albo-pilosulis. Facies candido-pilosa. Pili occipitis albi, prope verticem et in hoc ipso lutescentes. Thoracis dorsum et scutellum tota atra et opaca, pilis ex albo sublutescentibus et tomento raro subaureo vestita, margine tamen antico dorsi vere albo-piloso. Abdomen atrum pilis exalbidis et tomento rarissimo subaureo aspersum, lateribus late et ventre toto albo-pollinoso, pilis albis et tomento conferto candido instructis. Pedes nigri, tibiis intermediis fusco-nigris. Halteres flavi. Alae pure hyalinae, leviter albicantes; stigma sine colore; cellula submarginalis secunda valde dilatata et perbrevis, ita ut segmentum paenultimum venae longitudinalis tertiae duplicem ultimi longitudinem assequatur. — (California; Agassiz.)

79. *Myiolepta varipes*, nov. sp. ♀. — *Nigra, antennis, lateribus segmenti abdominalis primi, segmento secundo praeter margines laterales et vittam, tibiis intermediis praeter annulum nigrum, tibiis reliquarum basi tarsisque posticis ex rufo luteis, horum tamen articulis duobus ultimis nigris. — Long. corp. $3\frac{1}{2}$ — $3\frac{2}{3}$ lin., long. al. $3\frac{2}{3}$ lin.*

Myioleptae luteolae Gmel. simillima. Nigra, nudiuscula. Frons utrinque maculâ albido-pollinosâ ornata. Antennae ex luteo rufae, setâ concolore, articulo primo basim versus badio. Facies concava, peristomio valde producto, fasciâ superâ, marginibus lateralibus et vittulâ ad peristomium decurrente albo-pollinoso. Thoracis dorsum aenescens, pilis brevibus appressis lutescentibus vestitum, marginis antici limbo lato albido-pollinoso, in medio margine late interrupto. Scutellum aeneo-nigrum, breviter luteo-pubescens. Abdomen nigrum, lateribus segmenti primi segmentoque secundo luteis, hujus vittâ mediâ latâ marginibusque lateralibus nigris. Pedes nigri, extremo femorum omnium apice, tibiis omnium triente basali interme-

diarumque apice, tarsorum denique posteriorum articulis tribus primis luteis. Halteres dilute lutei. Alae cinereo-hyalinae, adversus basim dilute lutescentes, maculâ subfuscâ inde a cellulae costalis apice usque ad cellulae discoidalis basim pertinente, ipso alae apice dilutius subfusco. — (Virginia.)

80. *Orthoneura ustulata*, nov. sp. ♀. — *Ex chalybeo viridis, nitida, segmentorum abdominalium secundi et tertii margine postico opaco et nigro; antennae rufae, articulo tertio rotundato; alae cinerae, plagâ subapicali nigricante.* — Long. corp. $2\frac{5}{12}$ — $2\frac{7}{12}$ lin., long. al. $2\frac{1}{6}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

Ex chalybeo viridis, nitida, pedibus totis concoloribus. Faciei dimidium superius valde concavum et polline albo aspersum, inferius valde prominens. Antennae rufae, imâ basi fuscâ; articulus tertius rotundus, marginibus supero et apicali fusco-limbatis. Thoracis dorsum et scutellum scabriuscula et minus nitida. Abdomen nitidum, segmentorum secundi et tertii marginibus posticis et vittâ latiusculâ inde a basi abdominis usque in segmentum quartum pertinente atris et opacis. Halterum pedunculus lutescens, capitulum nigrum. Alae cinerae, venis nigris; stigma nigro-cinereum; plaga subapicalis colore nigricante diffuse tincta, sed ita ut vena costalis et venae longitudinales dilutius limbatae sint. — (New Jersey).

Nota. In speciminibus immaturis segmenta abdominalia secundum et tertium plerumque praeter margines et praeter vittam colore sordide luteo tinctae sunt et apex alarum minus nigricat.

81. *Callomyia talpula*, nov. sp. ♀. — *Atra, holosericea, halterum capitulo concolore, fronte nitidissimâ, pedibus lutescentibus, alarum venis longitudinalibus tertiâ et quartâ divergentibus.* — Long. corp. $1\frac{1}{3}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ lin.

Frons atra, nitidissima. Antennae nigrae, articulo tertio longo, acutissimo, setâ terminali longitudinem articuli tertii paulo excedente. Palpi nigri. Occiput atrum, opacum. Thorax totus aterrimus, holosericeus. Abdomen concolor, extremo tamen apice cinereo. Pedes cum coxis pallide flavi, femoribus tibiisque posticorum apicem versus dilute subfuscis, tarsorum anteriorum apice tarsisque posticis praeter basim fuscis. Tegulae dilute flavescentes; halterum pedunculus luteus, capitulum nigrum. Alae purissime hyalinae, venis longitudinalibus tertiâ et quartâ apicem versus divergentibus. — (New Hampshire.)

82. *Callomyia tenera*, nov. sp. ♀. — *Atra*, fronte et facie chalybeis, nitidis, thoracis dorso ex chalybeo glaucescente, abdomine strigis lateralibus magnis glaucis ornato, pedibus pallidis, halteribus nigris, alarum venis longitudinalibus tertiâ et quartâ parallelis. — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ lin., long. al. $1\frac{1}{6}$ lin.

Frons chalybea, nitens, vertice tamen summo et occipite atris et opacis. Antennarum articuli duo primi fuscii, tertius niger, acutus, quam seta terminalis paulo brevior. Facies brevis, chalybea. Thoracis dorsum et scutellum in specimine descripto e nigro chalybea, subnitida, glaucescentia, illius limbo laterali inde ab humero usque ad alae basim atro et opaco. Abdomen atrum, velutinum, segmentis quinque primis singulis utrinque strigâ sive maculâ transversâ albo-pollinosâ, laete glaucescente ornatis, maculis segmenti primi lato intervallo inter se distantibus, segmentorum reliquorum maculis in medio abdomine fere contiguis. Pedes cum coxis pallidi, femorum dimidio apicali, tibiis posticis, tarsorum anteriorum apice tarsisque posticis praeter basim subfuscis. Halteres atrii. Alae purissime hyalinae, venis longitudinalibus tertiâ et quartâ parallelis. — (New York; Osten-Sacken.)

Nota. *Callomyia tenera* in multis cum *Callomyia notatâ* congruit, ita ut illam, si magnitudine acquaret, hujus foeminam esse conjectarem.

83. *Platypeza anthrax*, nov. sp. ♂. — *Atra*, antennis, pedibus halteribusque nigris, ultimo abdominis segmento cinereo; alae cinereo-hyalinae, venae longitudinalis quartae ramulo anteriore leviter arcuato, cellulâ posteriore secundâ longâ sed angustâ. — Long. corp. $1\frac{5}{8}$ lin., long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Caput nigrum, opacum, antennis palpisque concoloribus; facies breviter nigro-pilosula. Thorax ater, opacus, plenius fusco-nigris. Scutellum et abdomen atra, opaca; segmentorum abdominalium secundi et tertii margines postici subtilissime rufescentes, segmentum ultimum obscure cinereum, maculâ basali atrâ, minutâ et subtriangulâ pictum. Pedes nigri vel fusco-nigri, genibus extremis pallidis. Halteres nigri. Alae hyalinae, leviter cinerascens, venis fuscis; vena transversa minor ab alae basi latius remota, quam in *Platypeza velutinâ* et *obscurâ*, ita ut intervallum inter venas transversas duplicem longitudinem intervalli, quod inter venam transversam minorem et cellulae discoidalis basim interjectum est, paulo superet; ramulus anterior venae longitudinalis quartae leviter curvatus, posterior mediocris; cellula posterior secundâ longâ, sed an-

gusta; cellula analis quam in *Platypezâ velutinâ* et in *Platypezâ obscurâ* modice longior. — (New York; Osten-Sacken.)

84. *Saucropus carbonifer*, nov. sp. ♂. — *Pallide flavus, maculâ magnâ ante scutellum, pleurarum maculis et metanoto nigris, segmentis abdominalibus secundo et tertio nigro-fasciatis, articulo ultimo tarsorum anticorum dilatato, atro.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{6}$ lin.

Flavus, antennis concoloribus. Facies angustissima, alba. Occipitis dimidium superius nigricans. Thoracis dorsum ante scutellum maculâ magnâ semirotundâ nigrâ, polline albo aspersâ notatum. Metanotum totum nigrum, leviter albido-pollinosum. Plenrae nigromaculatae. Tegulae pallide flavescentes, albido ciliatae. Segmentum abdominale secundum triente apicali excepto nigrum; segmentum tertium fasciâ basali nigrâ, in medio abdomine valde angustatâ vel interruptâ ornatum. Hypopygium majusculum, luteum. Pedes gracillimi, nudiusculi, pallide flavescentes; tarsi tenuissimi, anticorum articulo paenultimo albo, articulo ultimo depresso, dilatato, atro. Alae ex cinereo sublutescentes, venis fuscis, cellulae posterioris primae dimidio apicali subito dilatato. — (New York; Osten-Sacken.)

85. *Coenosia tricineta*, nov. sp. ♂. — *Tota lutea, nitens, thoracis vittis abdominisque fasciis tribus nigro-fuscis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., long. al. 2 lin.

Lutea, nitens. Caput concolor; frons opaca, adversus verticem latior; antennae dilute lutescentes, articulo tertio breviusculo, setâ subnudâ, adversus apicem nigricante et valde attenuatâ; seta mystacina utrinque unica nigra; proboscis et palpi dilute lutescentes. In thoracis dorso conspiciuntur villae tres nigro-fuscae, intermedia postice valde abbreviata, laterales plerumque imperfectae, haud raro subfuscae vel plane obsoletae. Scutelli setae duae. Segmenta abdominalia secundum, tertium et quartum postice colore nigro-fusco limbatæ; segmentum secundum plerumque praelerea lineolâ longitudinali fusco-nigrâ signatum. Ultimum ventris segmentum integrum. Hypopygium luteum, parvum, subimmersum. Pedes dilute lutescentes. Alae latae, subhyalinae, leviter sublutescentes. — (New Hampshire.)

86. *Schoenomyza chrysostoma*, nov. sp. ♂. — *Cinerea, frontis dimidio anteriore niveo, supra puncto triangulari aterrimo*

excisum, facie aterrimâ, opacâ, margine oris fulvo-limbato. — Long. corp. 1—1 $\frac{1}{2}$ lin., long. al. 1—1 $\frac{1}{2}$ lin.

Cinerea. Occiput et superius frontis dimidium concolora; inferius frontis dimidium niveum, margo tamen superus coloris nivei puncto triangulari aterrimo excisus. Facies aterrima, opaca. oris aperturâ fulvo-limbata; genae ex aureo ochraceae. Vittae thoracis et maculae abdominis paulo obscurius cinereae, valde obsoletae. Pedes nigri, genibus extremis fuscis. Alae hyalinae subalbicantes. venis transversis vix obsoletissime cinereo-limbatis. — (New Hampshire.)

87. *Cordylura gracilipes*, nov. sp. ♀. — *Gracilis, atra, nitida, capite praeter superius occipitis dimidium, vittâ thoracis et scutelli mediâ, pleuris totis, coxis pedibusque dilutissime flavicantibus, alis hyalinis, apice levissime infusato. — Long. corp. 2 $\frac{1}{2}$ lin., long. al. 2 $\frac{1}{6}$ lin.*

Caput ex albo dilutissime flavescens. proboscide et palpis concoloribus, fronte luteâ, leviter albo-pollinosâ, maculâ parvâ ocellos includente et superiore occipitis dimidio atris; antennae breves exalbidae, setâ praeter basim nigricante, pilis subtilissimis plumatâ. Thoracis dorsum atrum, nitidum, vittâ latissimâ luteâ, antee modice abbreviatâ. Scutellum atrum, nitidum, vittulâ lutescente dimidiatum. Metanotum atrum, nitidum, polline albido levissime aspersum. Pleurae totae ex albo dilutissime flavescens. Abdomen totum atrum et nitidum. Pedes graciles, ex albo dilutissime flavescens, coxis tarsisque concoloribus, setas paucas et tennes subfuscas gerentes; femora antica infra prope basim setis rigidis ternis vel quaternis armata; femora posteriora setis nullis instructa. Alae hyalinae, dilute sublutescentes. costâ venisque costae propinquis luteis, venis reliquis ex luteo subfuscis; apex alarum cinereus vel dilute subfuscus. — (New Hampshire.)

Nota. *Cordylura gracilipes* simillima est *Cordylurae adustae*, sed differt: setâ antennarum plumatâ, femoribus intermediis inermibus, plenris totis exalbidis tarsisque pallidis.

88. *Cordylura inermis*, nov. sp. ♀. — *Atra, nitida, capite cum antennis, proboscide et palpis (lateralibus tamen frontis marginibus, vertice et occipitis dimidio superiore exceptis), pleuris praeter vittulam sub alarum basi sitam, coxis pedibusque pallide flavescens, setâ antennarum breviter pilosulâ, alis subhyalinis. — Long. corp. 2—2 $\frac{1}{6}$ lin., long. al. 2—2 $\frac{1}{2}$ lin.*

Atra, nitida. Caput dilute flavescens, proboscide, palpis antennisque concoloribus, setâ harum breviter pilosulâ, non plumatâ; frons lutea, albido-pollinosa, utrinque nigro-marginata; macula minuta ocellos includens, verticis margo posticus et occipitis dimidium superius atra. Thoracis dorsum, scutellum et metanotum atra et nitida. Pleurae dilute flavicantes, vittulâ atrâ inde a metanoto usque in medias pleuras pertinente pictae. Abdomen totum atrum et nitidum. Coxae dilute flavescens. Pedes concolores, graciles, setis longioribus plane nullis instructi. tarsi subfuscis. Alae hyalinae, aequaliter et dilutissime ex cinereo sublutescentes. — (New Hampshire.)

Nota. Similis et *Cordylurae adustae* et *Cordylurae gracilipedi*, ab utraque frontis marginibus lateralibus nigris, pedibus setas longiores nullas gerentibus, thoracis dorso toto atro discrepat; ab hac praeterea setâ antennarum non plumatâ, sed breviter pilosulâ et pleurarum vittulâ atrâ distinguitur.

89. *Cordylura scapularis*, nov. sp. ♀. — *Atra, nitida, capite cum antennis, proboscide et palpis (fronte praeter margines laterales, vertice occipitisque dimidio superiore exceptis), scapulis, pleuris totis, coxis pedibusque dilutissime flavescens, setis longioribus horum tenuibus, femorum anticorum ternis vel quaternis, femorum posticorum nullis, setâ antennarum plumatâ, alis hyalinis, apice ex cinereo subfusco.* — Long. corp. 3 lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Atra, nitida. Caput ex albo dilute flavescens, proboscide, palpis antennisque concoloribus, setâ antennali nigrâ et nigro-plumatâ. Frons nigra, opaca, leviter albo-pollinosa, marginibus lateralibus dilute flavis; occipitis dimidium superius cum vertice atrum. Thoracis dorsum praeter scapulas, scutellum et metanotum atra et nitida. Pleurae totae ex albo flavescens. Abdomen totum atrum et nitidum. Coxae dilute flavescens. Pedes concolores; setae longiores fuscae vel fusco-nigrae; femora antica prope basim infra setis ternis armata, femora posteriora setis nullis instructa. Alae hyalinae, ex cinereo dilute lutescentes, apice ex cinereo dilute subfusco. — (English River; Kennicott.)

Nota. *Cordylurae pleuriticae* non absimilis, sed differt: setae antennalis basi minus incrassatâ, fronte praeter margines laterales nigrâ, scapulis pallidis, vittulâ atrâ pleurarum nullâ, pedibus gracilioribus, setis pedum tenuioribus et in infero femorum anticorum latere paucioribus, venis alarum minus obscuris, venis denique transversis latiore intervallo distantibus et non limbatis.

90. *Cordylura glabra*, nov. sp. ♀. — *Atra*, nitida, capite cum antennis, proboscide et palpis (fronte praeter marginem anticum, vertice et occipitis dimidio superiore exceptis), pleuris totis, coxis pedibusque dilute flavescens, femoribus anticis infra setas circiter senas, intermediis unicam, posticis binas fereutibus, alis hyalinis, leviter cinerascens, venis transversis lato intervallo distantibus, posterioris limbo et apice alae dilute subfuscis. — Long. corp. $3\frac{5}{12}$ lin., long. al. $2\frac{5}{8}$ lin.

Atra, nitida. Caput dilute flavescens, proboscide, palpis antennisque concoloribus, setâ harum nigricante, pilis longis plumatâ. In foveâ ovali prope peristomii marginem anticum linea transversa atra cernitur. Frons atra, opaca, levissime albo-pollinosa, marginibus lateralibus nigris et polline confertiore vestitis, margine antico latius aurantiaco. Occipitis dimidium superius cum vertice atrum. Thoracis dorsum, scutellum et metanotum atra et nitida. Pleurae dilute flavescens, maculâ ovalâ fuscâ, infra basim alarum sitâ. Abdomen totum atrum et nitidum. Coxae dilute flavae. Pedes concolores; femora antica infra setis circiter senis, intermedia prope apicem singulâ et postica binis instructa. Alae hyalinae, dilute lutescenti-cinereae, adversus costam purius sublutescentes, venis transversis longe inter se distantibus, intermediâ subincrassatâ, posteriore et alae apice colore dilute subfusco limbatis. — (New Hampshire.)

Nota. Prope accedit ad *Cordyluram pleuritica* et ad *Cordyluram scapularem*, sed ab utrâque lineâ peristomio inscriptâ nigrâ distinguitur. A *Cordylurâ pleuritica* praeterea differt setae antennalis basi minus incrassatâ, fronte praeter margines atrâ, alis apicem versus paulo latioribus venisque transversis latiore intervallo separatis, venâ denique longitudinali sextâ minus abbreviatâ. A *Cordylurâ scapulari* autem distinguitur corpore majore, frontis picturâ, scapulis atris, pedibus pedumque setis validioribus, majore harum numero venâque transversâ posteriore non limbâtâ.

91. *Cordylura munda*, nov. sp. ♀. — *Atra*, nitida, capite cum antennis et proboscide (vertice tamen et superiore occipitis dimidio exceptis), pleuris totis, coxis pedibusque dilute flavescens, setâ alarum plumatâ, alis hyalinis, apice late venisque transversis anguste fusco-limbatis. — Long. corp. $3-3\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{5}{12}-2\frac{1}{2}$ lin.

Atra, nitida. Caput dilute flavescens, proboscide palpis antennisque concoloribus, setâ harum nigricante et pilis longis nigris plumatâ. Vertex niger, occipitis dimidium superius atrum. Thoracis

dorsum, scutellum et metanotum atra et nitida. Pleurae totae dilutissime flavescentes. Abdomen totum atrum et nitidum. Coxae dilute flavescentes; pedes concolores; setae pleraeque fuscae, femoribus anticis infra subquaternas tenuiores, posticis unicam breviorē, sed validiorem et nigram ferentibus. Alae hyalinae, dilute lutescenti-cinereae, adversus costam purius sublutescentes, venis transversis longe inter se distantibus et anguste fusco-limbatis, ipso alarum apice late fusco. — (Hudsons Bay Territory, Fort Resolution; Kennicott.)

Nota 1. Variat frontis triente supremo nigricante. — Connecticut; Dasset.

Nota 2. *Cordylura pleuriticae* simillima est, ita ut de differentiâ specificâ dubitare possis, quam tamen pleuris totis flavicantibus; segmentis venae longitudinalis quartae paenultimo et antepaenultimo minus inaequalibus, venâ transversâ minore distincte fusco-limbata, septimo abdominis segmento minus lato et setis pedum tenuioribus dilutioribusque satis demonstratam esse opinor. A *Cordylura glabrâ* haec nostra *Cordylura munda* alis pro portione brevioribus et minus latis, venâ transversâ fusco-limbata et septimo abdominis segmento minus lato facile distinguitur.

92. *Cordylura latifrons*, nov. sp. ♀. — *Robusta, nigra, capite cum proboscide, palpis et antennis concolore, setâ haurum plumatâ. fronte latissimâ praeter margines laterales obscure rufescente, pedibus badiis, femoribus anticis praeter apicem intermediisque basim versus nigris, alis ex subfusco lutescentibus.* — Long. corp. $3\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Robusta, nigra. Caput concolor, fronte latissimâ praeter margines laterales obscure rufescente. Antennae totae nigrae, articulo tertio oblongo, apice subrotundato et setâ concolore plumatâ. Facies et genae albo-pollinosae. Oris margo lateralis setis paucis nigris instructus, mystacinâ reliquis longiore et validiore. Proboscis fusco-nigra; palpi nigri et nigro-pilosi. Dimidium inferius occipitis albido-pilosum. Thoracis dorsum obsolete albido-pollinosum, humeris tamen et vittâ mediâ polline conferto obtectis; pili rari nigri, setae concolores. Scutellum parce nigro-pilosum setisque quatuor nigris praeditum. Pleurae albido-pollinosae, praeter setas ordinarias nigras pilis raris tenuissimisque albidis aspersae. Abdomen nigrum, nitidum, nigro-pilosum, segmentorum singulorum margine postico nigro-setoso. Pedes badii, femoribus anticis praeter apicem femoribusque intermediis adversus ba-

sim nigris; pedum pili nigri, femoribus tamen anterioribus infra pallide pilosis; setae numerosae omnes nigrae. Alae ex colore dilute subfusco lutescentes, adversus costam et adversus basim distinctius lutescentes, venis luteis adversus apicem fuscis, transversis non approximatis. — (Middle States).

93. *Cordylura gagatina*, nov. sp. ♂. -- *Atra, nitida*. proboscide, palpis antennisque concoloribus, setâ harum plumatâ, scutelli setis duabus nigris, tibiis tarsisque piceis, alis dilutissime subfuscis. — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ — $2\frac{1}{4}$ lin., long. al. $1\frac{2}{3}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.

Parva, atra, valde nitens. Caput totum concolor, facie tamen confertissime albo-pollinosâ; antennae fusco-nigrae, articuli secundi apice albo-pollinoso, articulo tertio ovato. setâ plumatâ concolore; genae angustae; praeter setam mystacinam setae paucae et breves in oris margine laterali. Proboscis fusco-nigra; palpi nigri et nigro-pilosi. Thoracis dorsum polline nullo aspersum, nitidissimum, setis pilisque rarissimis nigris. Scutellum pilis aliquot brevibus nigris setisque duabus nigris instructum. Pleurae leviter albo-pollinosae; setae ordinariae nigrae, pili subtiles albidi. Abdomen subobsoleto albido-pollinosum, nitidum, nigro-pilosum, segmentorum singulorum margine postico setas raras et tenues nigras gerente. Lobi segmenti ventralis ultimi magni, ovati, infra albido-pilosi. Coxae nigrae, pilis pallidis setisque nigris vestitae. Pedes picei vel badii, femoribus tamen praeter extremum apicem nigris, tibiarum anticarum colore magis in testaceum, posticarum magis in fuscum vergente; setae rariores, omnes nigrae; pili breves, nigri, femoribus tamen infra pilos longiores pallidos ferentibus. Alae colore dilute subfusco leviter tinctae, venis ex luteo subfuscis, adversus basim dilutioribus et magis lutescentibus, transversis non approximatis. — (Canada.)

94. *Cordylura acuticornis*, nov. sp. ♀. — *Gracilis, cinerea*, abdomine magis nigro, fronte luteâ, facie palpisque albis, antennarum nigrarum articulo tertio infra acutangulo setâque validâ subnudâ, coxis pedibusque luteis, alis subhyalinis dilute lutescentibus. — Long. corp. $1\frac{2}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{7}{8}$ lin. —

Gracilis, cinerea, opaca. Occiput cinereo-nigrum, opacum; frons lata, lutea; facies et genae albae; antennae majusculae, nigrae, articuli tertii angulo infero acuto, setâ validâ, subnudâ, concolore. Praeter setam mystacinam nigram in margine laterali oris setulae paucae pallidae, quam illa multo breviores et tenuiores conspiciuntur. Thorax totus cum metanoto, pleuris et scutello aequaliter cinereus et

opacus, setis pilisque raris nigris instructus. Setae scutelli quatuor nigrae, apicales tenues et perbreves. Abdomen ex cinereo nigricans, subnitidum. Coxae dilute lutescentes, posteriores adversus basim subfuscae, omnes pilis et setis albidis hirtae. Pedes toti lutei, breviter nigro-pilosuli, femoribus tantum infra pilis pallidis aspersis; setae tenues nigrae. Alae hyalinae, colore sublutescente leviter tinctae, adversus basim distinctius lutescentes; venae tenues, luteae; vena transversa posterior ab alae margine longius remota quam in *Cordyluris* plerisque, ita ut ultimum venae quartae segmentum duplicem paenultimi longitudinem excedat. — (Hudsons Bay Territory; Kennicott.)

95. *Cordylura megacephala*. nov. sp. ♀. — *Robusta, cinereo-nigra opaca, pilis setisque totius corporis nigris; caput magnum, maximè ex parte rufo-ferrugineum, facie brevi, genis latissimis, setâ antennarum nudâ; pedes badii vel ex luteo subfusci, femoribus nigris; alae cinereae, cellulis subcostali et marginali dilute subfuscis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ — $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2\frac{5}{12}$ lin.

Robusta, cinereo-nigra, opaca, pilis omnibus setisque numerosis totius corporis nigris. Caput magnum, obscure rufo-ferrugineum, opacum, frontis latae marginibus lateralibus, triangulo ocellari occipitisque dimidio superiore cinereo-nigris. Antennae obscure rufescentes; articulus tertius oblongus, apice rotundato; seta nigra, nuda, tennis, basali tamen tridente subito et valde incrassato. Facies brevis; oris apertura ascendens, margine laterali setis validis instructo; genae adversus mentum longe demissae. Proboscis atra, labellis fuscis; palpi ex luteo subfusci, adversus apicem nigri, nigro-setosi. Scutelli setae sex. Abdomen breve. Coxae et femora nigra, femora antica crassa; tibiae bediae vel ex luteo subfuscae; tarsi concolores, adversus apicem fuscis. Alae cinereae, venis fuscis, obsolete subfusco-limbatis, cellulis subcostali et marginali subfuscis. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

96. *Cordylura albibarba*, nov. sp. ♂. — *Lutea, occipitis dimidio superiore, thoracis dorso praeter margines laterales, scutelli disco abdomineque praeter hypopygium fuscis, alarum apice venisque transversis colore subfusco latissime limbatis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., long. al. $2\frac{1}{6}$ lin.

Simillima *Scatinae*, lutea. Frons lata, saturate lutea. Antennae nigro-fuscae, articulis duobus primis infra rufescentibus, articulo tertio latiusculo, ovali, adversus basim rufescente, setâ nudâ, prope

basim rufâ. Facies ex luteo albicans; genae latae concolores; setae mystacinae binae subaequales nigrae, adjectis setulis aliquot minutis nigris. Palpi albi et albo-pilosi. Occipitis dimidium inferius albo-pilosum. Thoracis dorsum fuscum, polline luteo aspersum, subopacum, pilis et setis tenuibus nigris, marginibus lateralibus late luteo-limbatis. Scutellum fuscum, luteo-marginatum, pilis brevibus setisque quatuor nigris instructum. Pleurae luteae, obsolete nigro-maculatae, albo-pollinosae; setae ordinariae nigrae; pili rari, tenuissimi, in superiore pleurarum dimidio nigricantes, in inferiore pallidae. Abdomen fuscum, niteus, segmentis sexto et septimo cum hypopygio luteis; lobi segmenti abdominalis ultimi magni, ovati, lutei. Coxae anticae albiae et albo-pilosae; coxae posteriores dilute lutescentes, pilis concoloribus hirtae, in latere exteriori setam unicam nigram gerentes, posticorum apice praeterea pilis nonnullis brevibus nigris asperso. Pedes lutescentes, tibiis intermediis adversus basim tarsisque anticis adversus apicem levissime infuscatis, tarsis posticis obscurioribus. Setae pedum paucae, tenues, nigrae; pili breves, in femorum basi et margine infero pallidi, reliqui nigri. Alae quam *Scatinarum* breviores et latiores, subhyalinae, colore ex lutescente cinereo leviter tinctae; venarum color fuscus adversus basim per subfuscum in luteum mutatur; venae transversae colore subfusco late limbatae; apex cellularum marginalis et submarginalis late, cellulae posterioris primae angustius colore subfusco, in margine apicali cellulae submarginalis evanescente, tinctus. — (New Hampshire.)

97. *Loxocera collaris*, nov. sp. ♂ et ♀. — *Ex luteo rufa, antennis longissimis praeter basim nigris, thoracis margine antico latissime et abdomine fere toto atris, alis aequaliter luteo-cinereis.* — Long. corp. ♂ $1\frac{1}{6}$, ♀ $2\frac{1}{12}$ lin., long. al. $1\frac{5}{6}$ — 2 lin.

Caput luteum, superne rufum, occipitis dimidio superiore et triangulo ocellari permagno, ad anticum usque frontis marginem pertinente atris et nitidis. Margines laterales faciei albo-pollinosi, vitta media nitida, saturate fusca vel nigra. Antennae longissimae, nigrae, articulis primis duobus cum basi tertiæ luteo-rufis, setâ pallide flavescente, breviter pubescente, dimidiam antennae longitudinem vix attingente. Thorax rufus, dorsi tamen triente antico atro. Abdominis color ater adversus latera et marginem anticum segmenti secundi in mare obsolete, in foemina distinctius in rufum mutatur. Pedes dilute lutei, femoribus adversus basim

pallidioribus, extremo tarsorum apice fusco. Alae totae aequaliter ex luteo cinereae. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

98. *Loxocera fallax*, nov. sp. ♀. — *Atra*, nitida, capite praeter occipitis dimidium superius et praeter triangulum ocellare rufo, antennis capite subaequalibus. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., long. al. $2-2\frac{1}{4}$ lin.

Atra, nitidissima. Frons rufa, triangulo ocellari nigro, antice valde attenuato, marginem frontis anticum fere attingente. Antennae breves, capiti subaequales, nigrae, duobus tamen primis articulis et imâ tertii basi rufis; seta antennarum exalbida, breviter pubescens, tertio antennarum articulo longior. Facies ex rufo lutea, vittâ mediâ nigrâ, adversus peristomium valde attenuatâ. Occipitis dimidium superius atrum, inferius cum genis luteum. Pedes dilute lutei. Halteres albidî. Alae cinerascens. imâ basi dilutissime flavescens, venis fuscis. — (Canada.)

Nota. *Loxocera fallax*, antennarum figurâ inter *Loxoceras* et *Psilas* intermedia, corporis picturâ his propinquior est, sed capitis formâ cum illis congruit, ita ut aptius *Loxoceres* quam *Psilis* adnumeretur; a *Chylizis* capitis formâ ac figurâ et ultimo venae quartae segmento incurvo magis quam a *Psilis* et a *Loxoceres* genuinis recedit.

99. *Chyliza notata*, nov. sp. ♀. — *Atra*, capite, thoracis vittulis dorsalibus, maculâ magnâ pleurarum. scutello, pedibusque luteis, apice tamen femorum posteriorum nigro, alarum venâ transversâ posteriore angustius, margine apicali latius nigro-limbatis. — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., long. al. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{6}$ lin.

Atra, pube brevi pallidâ vestita. Caput flavum; antennae concolores, setâ tenui, pallidâ, brevissime pubescente; frons lutea; dimidium superius occipitis praeter margines nigrum. Thoracis dorsum puncto humerali obscure luteo vittulisque quatuor luteis notatum, intermediis angustis et obsoletis, lateralibus latis et a suturâ ad angulum posticum ductis. Scutellum luteum. Melanotum atrum. Pleurae atrae, maculâ magnâ luteâ, coxis intermediis contiguâ ornatae. Abdomen totum atrum. Pedes cum coxis flavi. femoribus tamen posticis annulo subapicali latiusculo, fusco-nigro cinctis. Alae cinereo-hyalinae, venae longitudinalis quartae segmento paenultimo et venâ transversâ posteriore anguste, margine apicali latius nigro-limbatis. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

100. *Mycetaulus longipennis*, nov. sp. ♂. — *Rufo-testaceus*, pectore. metanoto et abdomine nigris, pedibus luteis; alae longae, cellulâ costali subfuscâ et maculâ apicali nigro-fuscâ. — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Rufo-testaceus. Caput concolor, occipite nigro-fusco vel piceo, antennis luteis. Macula in thoracis margine antico sitâ, pectus, metanotum et abdomen totum nigra. Pedes lutei, tibiârum posticarum basi tarsorumque apicibus nigro-fuscis. Halteres albidî. Alae quam *Mycetauli bipunctati* longiores et pro portione minus latae, hyalinae. cellulâ costali subfuscâ, cellulâ subcostali angustissimâ fusco-nigrâ et maculâ apicali fusco-nigrâ. — (Hudsons Bay Territory; Kennicott.)

ZOBODAT - **www.zobodat.at**

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Deutsche Entomologische Zeitschrift](#)
([Berliner Entomologische Zeitschrift und Deutsche Entomologische Zeitschrift in Vereinigung](#))

Jahr/Year: 1869

Band/Volume: [13](#)

Autor(en)/Author(s): Loew Hermann

Artikel/Article: [Diptera Americae septentrionalis indigena. 129-186](#)

